Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-483975-p0001-9

Plato.

Omnis sapientium [illegible] fio mortis est.

IX.

Politica
75.

№ 8353 *

1 Nuova scielta di
lettere
2 Erasmi epistola
breviores.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-483975-p0003-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-483975-p0005-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-483975-p0007-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-483975-p0008-8

PARS PRIMA

BREVIO-
RVM ALIQVOT D.
ERASMI ROTERODAMI
Epistolarum, quæ iam nunc collatione magni operis Epistolarum sunt emendatæ.

Cum interpretatione Græcarum uocum.

COLONIAE. Anno à Christo nato 1558.

ERASMVS ROTERODAMVS D. GABRIELI OFHVSIO Carthusiensi S. D.

STVDIIS ac negocijs uix erat ocium scalpēdis, ut aiunt, auribus. Tamen mitto tibi tuos uersiculos, ne queri possis ulla in re non morigerum animo tuo fuisse Erasmū, uerè tuum in Christo. Scio quàm multa mala doceat ociū. Proinde malo te istiusmodi opellis trāsmittere tēpus, quod datur à sacrorū pensis uacuū, quàm ad deteriora prolabi. Attamen longè satius erat, è sacris libris Christi Pauliq; imaginem uiuam & efficacem pectori tuo penitus imprimere, quam plūbo, ære, chartis ue exprimere. Quod ipsum arbitror te facere mi Gabriel. Nec istam industriā tuā aliud esse, quàm felicis ingenij luxuriem: quam in suo Nepotiano laudat etiā Hieronymus. Non

arbitror à Christo nato seculum hoc fuisse malitiosius. Quò minùs oportet uos pœnitere instituti uestri: me mea fata in has procellas abripuerunt. Nec tacere mihi licet, nec digna Christo loqui. Christus clamat: Confidite, ego uici mundum. Mundus uidetur breui clamaturus: Ego uici Christum: adeò pro dotibus Euangelicis palàm regnat ambitio, uoluptas, auaritia, audacia, uanitas, impudentia, liuor, malitia: etiam inter hos qui se lucem ac salem huius mundi profitentur. Reuisam uos, ut primùm licebit. Interea salutabis optimum patriarchen uestrum œconomum, & eum qui nos obiter, magno, ut apparebat, affectu salutabat. Bene ualentem & ad cœlestia semper anhelantem te seruet ac prouehat Christus, unica spes piarum mentium, mi frater in Christo charissime. Ex Anderlaco, Pridie Id. Octobris. Anno M.D.XX.

Erasmus Rot. Thomæ Greio & Petro Viterio suis S. D.

Eodem

EOdē die mihi ueſtræ redditæ ſunt literæ, querelarum plenæ, quòd nihil reſpondeam. Præter has poſtremas expoſtulacrices, imò obiurgatrices, binas duntaxat à uobis accepi, hoc eſt, à ſingulis ſingulas. Quibus hactenus non reſpondi, ſed tamen, niſi fallor, iuſſi uos ſaluere in literis ad Badium datis. Nec ideò minùs uos amo, ſi ſcribo rariùs, qui ſic diſtrahor, partim his aulæ tumultibus, partim iniquitate fortunæ, nonnihil etiam ſtudijs, ut uix ſim apud me. Hæc ſcripſi grauiter ægrotus: non pituita, ſed ueriùs peſte, quæ plurimos iam tenet. Quod deploras, mi chariſſime Viteri, te iſthuc à me miſſum, quò mea conſuetudine careres: ſcis ipſe te quorundam malitia Caletio depulſum fuiſſe: quem exitū ego ſemper expectabam. Atque utinam nunc ea tibi eſſet fortuna, qualem ego optarim. Sed tamen eſt aliquid in patria uiuere, præſertim tali. Et ſortem tuā ita reddes tolerabiliorem, ſi quod ſis, eſſe uelis. Quod ſi quid eſt, in quo requiras officium noſtrum, fac periculum, num idem ſim Eraſmus, qui ſemper fuerim. Litera-

rum officio non possum omnibus respondere, etiamsi nihil agam præterea. Tuum mi chariſſime Greic, ſtudium atque animum tam pium, dici uix posset, quantopere exoſculer. De filij indole gratulor ex animo. Quòd ipſe ſacra potiſſimum amplecteris, hoc eſt, ea per quæ uiuas feliciter, & moriaris felicius, prudenter facis, & rectiſſimè tibi conſulis. Quanquam tu quidē ſuperſtes eris in liberis, quibus bis pater es: quippe non contentus in hanc lucem produxiſſe, Chriſto parturis eoſdem. Valete ambo, quos ut æquè tum mihi, tum inter uos charos, epiſtola quoq; coniungere uiſum eſt. Bruxellæ Idibus Februarijs. Anno M.D.XXVI.

Eraſmus Rot. Guilielmo Gonello ſuo S. D.

NIhil eſt, mi Gonelle, quòd te unius aut alterius interitus magnoperè terriret, niſi paſſim malū uagari cœperit: præſertim cùm nūc in Anglia mutare locum, nihil aliud ſit, quàm mutare periculum, nō

effu-

effugere. Fuge turbæ colluuiem, quantum potes. Moderatè uiuè, ſicuti facis. Tuos item à turbæ commercio cohibe. Iam inſtat hyems, quæ ſolet huiuſmodi mederi malis. Intelligo te nimium grauiter diſcruciari, ac propemodum deſpondiſſe animum, quòd tibi crumena cum paucis nummis perierit. Primũ, quid Muſarum alumno cum pecunijs? Quid Apollini cum Mida? Deinde quid iuueni cum curis ſenilibus? Deniq; quid eſt quòd tantulæ pecuniolæ iactura Gonelli tangat animum? Ego cùm ante quindecim annos redire in Galliam pararem, uiginti libras in littore Douarienſi perdidi, & nondum ingreſſus nauem naufragium feci. Vniuerſas opes ſemel perdideram, & adeò non conſternatus ſum animo, ut alacrior etiam & ardentior ad libros redirẽ, moxq; intra pauciſſimos dies Prouerbiorum opus ædidi. Oblecta te Muſis, mi Gonelle. Pecuniam iſtam aliqua tibi reddet fortuna, uel cũ fœnore. Interim ſic exiſtimato, Eraſmi pecuniolas, quantulæcunque ſunt, tibi communes eſſe. Noſtri deſiderium non tibi mole-

stius est, quàm tui nobis: sed non semper sæuiet fortuna. Ioannis mei discessus initio male me habebat. Nunc occalluit animus, ut malim non redire. Quorsum enim attinet beneficium in eos conferre, qui non intelligunt? Nihil æque perit atq; quod confertur ingratis, at longè magis perit, quod præstatur non intelligẽtibus. Ingratus dissimulat: non intelligens, ne sentit quidem. Si quid nouabis, quæso facias me certiorẽ. Cùm dabitur colloqui, communicabo tibi, quod spero non ingratum fore, nec inutile studijs tuis. Bene uale. Salutem ex me dices humanissimæ matrifamiliâs, ac cæteris omnibus. Demiror Lupsetũ nihil scribere. Audire gestio, quid agat, quid ualeat. Rursum uale. Anno M.D.X.

Erasmus Rot. eximio Iuris utriusq; doctori, Richardo Sampsoni S. D.

INgens, ut scribis, ornatissime Richarde, ueræ necessitudinis argumentum est, quòd tot eximios amicos habemus inter nos

nos communes: præsertim cùm eos neuter alteri conciliarit. Proinde res occulta quadam fatorum ui geri uidetur. Quanquam & alioqui uehementer sim inhumanus, ni te cum primis amem, qui cum mihi pridem Cantabrigiæ, nuper Tornaci multo iucundissima fuerit consuetudo. Quid enim esse potest tuis moribus mellitius? Iam non inhumanissimus modò sim, uerùm etiam ingratissimus, nisi Sampsonem inter præcipuos patronos meos adscripserim: qui nec rogatus unquam, nec postulatus, mihi nec opinanti, nec expectãti Præbendam Tornacensem pararit. Nam quo minùs assecutus sim, non tu, sed mea absentia fuit in causa. Proinde puto me nihilominus in solidum debere, quod per te non steterit, quò minus possideam. Reuerendissimus Cardinalis perbenignè pollicetur, uerùm hæc ætas non moratur lentas spes: etiamsi mihi iam contigit, quod huic animo, quod huic ocio satis est. Vehementer gaudeo uobis probari Paraphrasim, cum primis autem Ioanni Molendino, homini naris emunctæ. Ille tibi meis

uerbis ſalutem annunciarat: id officij uiciſſim nunc illi præſtabis, & quidem accuratè. Bene uale. Louanij. Anno M. D. XVIII.

Eraſmus Rot. Iacobo Fabro Stapulenſi S. D.

DOctiſſime idemq; optime Iacobe Faber, iam unis atque alteris literis teſtatus ſum, quàm acerbè feram hãc anſam obtigiſſe maledicis de nobis garriendi. Præſentiebam hoc malũ naſciturum. Sed quia non erat mihi integrum non reſpondere, è duobus malis, quod leuius uiſum eſt, delegi. Nunc quod unum ſupereſt, oro te per Chriſtianam charitatem, per ſanctiſſimorum ſtudiorum communem amorem, per utriuſq; famam, quam ex amiciţiæ lege par eſt utrique cordi eſſe, ut communi ſtudio, malo huic quà licet medeamur, ne latiùs ſerpat incendium. Vides homines ad malum procliues, undecunque diſſidiorum cauſas arripere. Nullum eſt penè conuiuium, in quo non hinc pro Fabro

bro aduersus Erasmum, hinc pro Erasmo aduersus Fabrum disceptetur, præsertim ab ijs qui rem penitus ignorant. Spargun-tur tuo nomine diuersæ uoces: alij prædi-cant abs te parari recriminationem, alij ne gant dignari respondere Erasmo. Rursus alij dicunt te non improbare, quòd me de-fenderim, alij è diuerso incusare temerita-tem meã. Ego quod ad me pertinet, haud multum laboro utrum respondeas, nec ne, modò ab odiosis istiusmodi dictis tempe-res, quæ nec tibi decorum est in amicum iacere, nec mihi integrum dissimulare. Cę-terùm molestum est, nostra causa seri dissi-dia inter Christianos, exultare nostra dis-sensione eos, qui tuis æquè ac meis studijs infensi sunt. Non uoco te ad palinodiam, licet indignis modis sim lacessitus: tantùm epistola quapiam testare, te ueri uestigandi studio decertasse, cæterum inter nos ani-morum esse concordiam. Quod si non pla cet, deniq; malim te respondere, quàm si-lentio tuo partes irritare: modò ea utare tẽperantia, quæ pristinos tuos deceat mo-res. Nullus mortalium audiuit me de Fa-

bro

bro loquentem, nisi tum amanter, tum honorificè. Tantùm admirari me fateor, quibus rebus adductus ea in me scripseris. Neque secus sentio, quam loquor, teste Christo. Bene uale uir optime. Loua. XV. Calen. Maias. Anno M. D. XVII.

Erasmus Rot. Petro Aegidio suo S. D.

PER nostram amicitiam, qua non potest arctior esse, per tuam incolumitatem, quæ mihi nõ secùs atq; mea ipsius est cordi, mi Petre, da operam ut reualescas: ut reuersus te offendam hilarem ac lubẽtem. Ita mihi demum uidebor reuersus incolumis. Tempera uictum, in reditum Adriani tui, cui mehercule plurimum fido. Est aliquid amico uti medico. Interim caue ne crebris pharmacis uires nimium exhauriας. In primis tẽpera tibi ab omni uehementi ore motu animi, ab immodico gaudio, ab intemperanti risu, ab ambulatione grauiore, à studio uehementi, sed ante omnia ab iracun-

îracundia. Mi Petre, omnia uitę posthaben da sunt. Fortassis hæc admoneo importunius, sed utinam tam feliciter admoneam, quàm ex animo. Ego meum periculum contemno, modò contingat te reuiuiscere, hoc est, firmum ualidumq; fieri. Bene uale cum suauissima coniuge, dulcissimisq; liberis. Louanij XV. Calend. Maias. Anno M.D.XVII.

Ioanni Lascari Constantinopolitano Erasmus Roterod. S. D.

VIR omnibus ornamentis clarissime, Hieron. Buslidius, homo doctus ac potens, & huius regni decus incomparabile, in itinere Hispanico moriens, legauit multa millia ducatorum, ad institutionem noui Collegij apud Louanium, Academiam hac ætate cum primis florẽtem, in quo publicitùs & gratis tradentur tres linguæ, Hebraica, Græca, Latina, salario satis magnifico, circiter septuaginta ducatorum, qd tamen augeri possit pro ratione personæ. Hebræus iam adest, & item Latinus. Græcam

cam professionẽ complures ambiunt. Verùm meum consilium semper fuit, ut asciscerẽtur Græcus natus, unde statim Germanam Græci sermonis pronunciationem imbibant auditores. Ac meæ sententiæ subscribunt authores huius negocij omnes, mihiq; mandarunt, ut suis uerbis accerserem, quẽ iudicassem ad hoc negocij idoneum. Quare te rogo, uel pro solita tua erga nos humanitate, uel pro tuo erga bonas literas fauore, ut si quem nosti, quem existimes & mihi & tibi futurum honori, cures ut quam primum huc aduolet. Dabitur uiaticum, dabitur salarium, dabitur locus. Erit illi res cum uiris integerrimis & humanissimis. Neq; minus fidat his meis literis, quàm si centum diplomatis res esset transacta. Inter bonos & absq; syngraphis bene agitur. Tu cura, ut deligas idoneum: ego curabo ne hominem huc uenisse pœniteat. Bene uale doctissime clarissimeq; uir. Louanij postridie diui Marci. Anno M.D.XVIII.

Erasmus Gonello suo S. D.

Gra-

GRatum erat tuum munuſculum, gratior epiſtola tam amica, gratiſſimus animus, nihil etiã immutatus diutina conſuetudinis intermiſſione. Clementem ſummæ ſpei iuuenem meis uerbis admonebis, ut ab intempeſtiuo ſtudio temperet. Memini quàm ille ſit libro affixus, præſertim ut à nocturna ſcriptione quoad licet abſtineat, & ſi forſitan ob Cardinalis negocia cogetur ſcribere, ſtans et erectus ſcribere aſſuefcat. Nolim hoc ingeniũ ante diem perire, malimq; ſeruari ſtudijs, quàm Cardinalitijs negocijs impendi. Bene uale. Louanij X. Calend. Maias. Ano M. D. XVII.

Eraſmus Roterod. Richardo Pacæo ſuo S. D.

OVerè ſplendidam ueſtræ Britanniæ regiam ſedem, & arcẽ optimorum ſtudiorum ac uirtutũ. Et uobis mi Pacæe gratulor talem principem, & ipſi principi gratulor, cuius regnum tot ingeniorum luminibus illuſtretur. Vtroque uerò nomine gratulor ueſtræ Angliæ, cum aliâs multis modis

modis felici, tum istis titulis sic excellenti, ut nulla regionum cum ea queat conferri. Nunc demum iuuat uniuersam ætatem apud Anglos exigere, ubi fauore principũ regnant bonæ literæ, uiget honesti studium, exulat aut iacet cum fucata personataq; sanctimonia futulis & insulsa doctrina quondam ἀπαιδεύτως πεπαιδευμένων. Grocinũ deficere doleo: sed rursum uideo pro uno tã multos breui suppullulaturos. Quod negocium meum tam amanter egeris, ueterem tuum in me animum libenter agnosco. Vtinam liceret hoc negocium ædẽdi nouum Testamentũ alteri committere. Verũ hoc quicquid est mortarij, quando intriui, mihi totum est exedendũ, quæ res istis ματαιολόγοις uertat male. Vtinam mihi magis incidisset in mentem de hominibus quàm de portentis bene mereri. Cũ Louaniẽsibus Theologis mihi probe conuenit. Colonien sis Academia dissidijs inamœnis conflictatur. Dentata charta res agitur. Iamq; & meum nomen paulatim admiscent. Cursitant sursum ac deorsum personati præcones, fœdum rumorem spargen-

gentes in uulgus, impudentissime mentien tes, quod illis commodum bonumq; est apud eos, qui nihil omnino de re norunt, non magis quàm ipsi. Dorpius mihi uidetur ex animo factus amicus. Adnitar, ut an te hyemem uobis restituar, si modo reditum dabunt superi. Paraphrasis rursus excusa est Basileę. Apologia qua Fabrum placo, nuper Basileæ prodit cum annotamentis iampridem excusa Argentorati. Precor Deum Opt. Max. ut tibi istum animum, te nobis diu seruet incolumem. Louanij. Anno M. D. XVII. Calend. Maias.

Erasmus Rot. Henrico Bouillo suo S. D.

VIdeo, mi Bouille, tantam hominum peruersitatem & ingratitudinem, ut propemodũ in animo sit, ædito rursus nouo testamento, mihi canere & musis. Consspirant personati quidam histriones, qui Curios simulãt, & procul allatrant: coram nemo uerbum. Spargunt in uulgus, talibus scurris digna mendacia: perinde quasi hoc

ipsum essent professi, famam alienam men dacijs suis contaminare, quasiq; pro hierophantis sycophantę esse decreuerint. Nunc mihi non est otium, sed si pergant, excipiẽtur ut digni sunt aliquando. Vos isthic pro me & Fabro inter uos concertare doleo. Scripsi nuper homini, ut aut epistola quapiam ædita testetur inter nos conuenire, si pudet παλινῳδεῖν: aut respõdeat, si quid habet quod defendat, modò temperet à tam amicis ac peramicis dictis, quibus antehac in me lusit. Nunc illius silentio magis excitari diffidium uideo, dum quisque pro suo animo suspicatur. Rixarum nullus est finis. Quod si hoc mali coniunctum est studijs, mihi ualebunt potius. Dormire præstat q̃ scribere. Bene uale doctissime Bouille. Amicis omnibus salutem dicito, nominatim Vachano & Briano. Louanij, IX. Calendas Maias. Anno M. D. XVII.

Anglorum regi Henrico eius nominis octauo Erasmus Rot.

S. D.

Salutem

SAlutem et immortalitatem sereniſſime
rex. Celſitudinis tuę munus, multis qui
dem modis mihi gratiſſimũ fuit, ſiue quod
per ſe ingens, ſiue quod à rege profectum:
præſertim ab eo rege, qui non minus ho-
neſtiſſimarum rerum ſtudio, quàm ditio-
nis opulentia ſit eximius. Cuius probari iu
dicio magnificentius ſit, quàm inaurari mu
nificentia. Tamen hoc nomine mihi præ-
cipuè fuit gratũ, quod ueteri tuo de nobis
ſuffragio, quo ſæpenumero Eraſmum non
minus amanter quàm honorifice tua maie
ſtas ornauit, ceu pignus quoddam acceſſiſ-
ſe uideretur. Ac uelut hoc parum ſit uiſum
tuæ erga bonas literas benignitati, ultro
fortunam offers perpetuã, eamq; non me-
diocrem. Quam equidem adeò non recu-
ſo, ut uel gratis ſub tali principe merere cu-
piam, apud quem ut quiſq; bonis literis, ui
taeq; integritate maxime præcellit, ita gra-
tia & autoritate plurimum ualet. Cuius au-
la Chriſtianæ diſciplinæ ſit exemplum, ſic
eruditiſſimis uiris celebrata, ut illi nulla nõ
inuideat Academia. Deum Opt. Maxi-
mumq; precor, ut & iſtum animum tibi

perpetuum esse uelit, & te regno quàm diutissime tueatur incolumen: ut pluribus annis sub optimo florentissimoq; principe, ueris bonis floreat uigeatq;. Nos cogimur ędendis uoluminibus noui testamenti quatuor menses impendere. Eo negotio confecto, totos nos tuæ maiestatis dedicabimus obsequijs. Louanij VII. Calend. Maias. Anno M.D.XVIII.

Desi. Erasmus Rot. Lucæ Paliuro

S. D.

QVod recte uales, gaudeo: quod nostri non solum memor es uerumetiam studiosus, habeo gratiam. Quod honestum locum obtines apud antistitem omnium optimum, magnopere tibi gratulor. Opto, ut tua fœlicitas quàm maxime diutina sit, semperq; maior: ac precor, ut quod facis, facere pergas, ut Erasmum integerrimo præsuli tuo commendatũ reddas, quo mihi nihil magis est in uotis. Vtinam orbis haberet multos illius similes. Bene uale. Louanij, pridie Bartholomæi. Anno M.D.XXII.

Desid.

Deſide. Eraſmus Rot. Richardo
ſuo S. D.

NOn eo ſcripſeram de Ioanne meo, ut illum Tõſtallo obtruderẽ, ſed ut gratum facerem, ſi hoc illi fuiſſet cordi. Animum erga me tuum tam amantem ac propenſum amplector atq; exoſculor. Perge, mi Richarde chariſſime, puriſſimis moribus puras adiũgere literas, quãdo in hoc eſſe te uideo. Bene uale. Louanij. pridie Calend. Septemb. Anno M.D. XXII

Deſide. Eraſmus Rot. Georgio Haloino S. D.

CLariſſime Georgi, tandem olfeci, ni fallor, quis fuerit ille Gandaui, quem noſtra offenderit Moria, monachus eſt, niger eſt, nihil niſi uenter eſt. Primum à paucis intelligebatur, donec Liſtrius adderet commentaria. Verũ ubi per te gallice quoque loqui cœpit, ab his quoq; intelligitur, qui nec pſalmos ſuos intelligunt. Optarim & ipſe audire meam Moriam Gallice diſſerentem: quod ſi tibi non eſt exemplar, ſaltem commonſtra unde poſſim petere. Totus, hoc eſt, cum bibliotheca, Louanium

commigraui. Cũ Theologis altissima pax, atq; adeò necessitudo: nam mihi cum illis bellum esse sycophantæ quidam sparserãt: destinant me in suum ordinem cooptare. Quis hoc non malit, quàm in deorum contubernium allegi? Atensis unice fauet. Dorpius ex animo uidetur amicus. Oblatrant unus & alter τῶν πλωχῶν, sed in absentem. Accipio Briselotum Antuerpiæ gnauiter ac prorsus bonis lateribus in omnibus cõpotationibus in me declamasse. Verum id de uiro tam erudito atq; integro, non possum adduci ut credam esse uerum. Cura ut optime ualeas, teq; nobis & rei literariæ serues incolumem. Monacho huic, ut uidetur, probo, raræq; indolis, uel pro tua humanitate, uel mea causa, si quod opus erit, commodabis. Louanij, quarto Calend. Septembris. Anno M. D. XVIII.

Desid. Erasmus Rot. præsuli Basiliensi, Christophoro S. D.

REuerendissime præsul, eloqui, ut dignum est, uix queam, quantopere ue-

terem

rerem istum tuum in me animum, quem olim abunde expertus Basileæ, nunc rursus tuis ex literis agnosco, uenerer atq; exosculer. Ac iampridem circũspicio, si quod idoneum argumentum nanciscì queam, quo simul & tuam erga me beneficentiam, & meam uicissim in te grati animi propensionem testatam efficiam, etiam posteritati, si quid meæ possint literæ. Imò quo melius dicam, ut posteritas in te boni præsulis imaginem accipiat, in me seduli clientis exemplum. Sed hactenus unus in tot curas distractus, hinc studijs meis, hinc aulæ negotijs, uel nugis potius, hinc theologorum quorundam odijs, meminisse magis poteram officij mei quam præstare. Nunc cum theologis pax est altissima, nisi quod reclamant adhuc personati pauculi: sed procul, & in absentem duntaxat oblatrantes, præsertim ubi calices reddiderint eos disertos. Ab aula me prorsus auulsi, Louanij sedeo. cũ cœlo satis conuenit. Spero dabitur commoditas animo meo satisfaciendi, nec tamen Basileam excussi animo: sed est, cur hic expediat mẽses aliquot desidere. Id qd

rei sit, partim indicaui Ludouico Bero. Neque uerò me isthuc perinde inuitarit cœli uestris amœnitas, atq; animus iste tuæ celsitudinis, tam in nos propensus. Pro officijs & humanitate, qua Beatum Rhenanum raræ probitatis uirum prosequeris, non minorem habeo gratiã, quàm si in meipsum collocasses. De nouis rebus ex aliorum literis cognosces. Bene uale suspiciende pater. Louanij, Anno M.D.XVII.

Desi. Erasmus Rot. Henrico Stromerio Aurbachio S. D.

ERuditissime medice, accepi per meum famulum Iacobum literas tuas multis nominibus gratissimas: sed hoc præcipue, quod reuerendissimi pręsulis honestam de nobis opinionem ac propensum fauorem, simuĺq; singulare quoddam tuum erga me studium testentur. Erat animus inscribere archiepiscopo Suetonium, aliośq; qui Cæsarum uitas descripserunt, à me post omnes non temere recognitos: sed erat cur id fugerim. Nondum ullum illius in me officium

cium

cium ſum expertus; ſed tamen cum audio celſitudinem illius tanto animo fauere bonæ ſpei ingenijs, arbitror omnium eruditorum eſſe parteis, ut talem heroem laudibus uehant: mihi quoq; hoc magis ſuſpiciendū, quod rebus pijs ac ſacris faueat tantus princeps: quo quidem animo ſi omnes eſſent præditi, melius (ni fallor) cum rebus humanis ageretur. Porrò quod hortatur ad deſcribendas diuorum uitas, utinam ſicut præmium pollicetur, ita poſſit huic corpuſculo uires ad id negotij iuſtas addere. Iam annum exceſſi quinquageſimum, & ualetudo perquā eſt imbecillis, & diſtringor uarijs ſtudiorum laboribus. Si poſthac contingat iſthac facere iter, cupidiſſime fruar optimi principis conſpectu, tuaq; conſuetudine. Bene uale Stromeri doctiſſime. Louanij. natal. Bartholomæi. Anno M. D. XVII.

Deſid. Eraſmus Rot. Nouiomago S. D.

DEmiror te nihil ſcripſiſſe, cum ſcripſerit ipſe reuerendiſſimus. Neq; em̄ opinor te ſic occupatū, ut non uacarit: neq;

tam fortunæ ſucceſſu elatũ, ut ueteres congerrones faſtidias, quod tamen optarim ita eſſe. Libellũ de querela pacis optimo præſuli nõ diſplicuiſſe, magnopere gaudeo: & iam nunc fructum eius laboris abunde magnum percepiſſe me puto, quod is amplectitur, cui unice probari cupiebam. Paraphraſis ad metam properat, liber exiguus, ſed nemo credat niſi periculo facto, quantis ſudoribus mihi conſtiterit. Mittetur ſimulatq; fuerit abſolutus Theodorici formulis. Sed audi rem ridiculam. Nuper quidam expeditus accurrit, annuncians ſacerdotium meum, quod haberem Traiecti æſtimatum quatuor Philippeis, ſi uellem numerare. Primum gaudebam ſomnians: deinde mirabar, quid rei eſſet. Poſtremo ſenſi nomen commune fuiſſe cauſam erroris. Eſt enim hic alter Eraſmus iuris doctor, ad quem ſcriptas litteras inſciens nuper legi, putans ad me ſcriptas. Deinde cum nihil illic eſſet, quod ad me pertineret, ſuſpicabar me rideri à quopiam, donec Barbirius ea ſuſpicione me leuaret. Caue ne dominus accerſat me his menſibus hybernis. Sic enim

enim uersor in nouo testamento, ut nec digitum latum liceat discedere, & certum est his mentibus absoluere. Philippo tantum hortator ad literas esse possum, quod desie rimus in unis ædibus uiuere. Nihil est Næuio meo in hac Academia uel eruditius, uel melius, uel festiuius, uel deniq; syncerius: nec unquam uixi magis ex animi mei sententia. Bene uale. Louanij XVI. Calend. Decemb.

Erasmus Rot. Osualdo suo S. D.

AMice candidissime, multo gratissimæ mihi tuæ fuerunt literæ: quibus etsi contractè rescribo, amo tamen effusissime meum Osualdū, uel quod nobis adeò faueat, uel quod Glareano non semel meo, Theseus sit, aut si quid Theseo fidelius. Perge mi Osualde, literarium quoq; decus Eluetiæ tuæ, iam olim armis inclytæ, uindicare. Nos hinc pestis abigit, cui maximam malam pestem imprecor. Bene uale. Basileæ, septimo Calend. Septemb. Anno M. D. XVIII.

Erasmus

Erasmus Rot. Vdalrico Zasio, Cæsarei iuris apud Friburgos professori clarissimo S. D.

NOn possum obtinere uir interbonos optime, & inter doctos doctissime, quin in tuis ad me literis tui similis sis, semper mei me dissimilem faciens, ex humillimo magnũ, ex infortunatissimo fœlicem, ex uix triuialiter literato uerius q̃ erudito, omnis doctrinæ principem, atq; ut semel finiam, ex musca elephantum, quod Græcis est in prouerbio. Et tamen faueo simulacro, quo me depingis, præclare magis q̃ apte: ueluti si Appelles quispiam egregiam picturam, omni artificio elaboratam proponat, sed quæ ad exemplar non respondeat. Neque enim quicquam est, quod ex eo mihi possim agnoscere. Verum quando in Zasij mores nõ cadit ulla fuci suspicio, patiar te tuo indulgere uel amori, uel ingenio, modo mihi uicissim permittas, ut meo obsequar pudori, qui soleam amicos effusius amare quàm prædicare: aut si quando res ita tulerit, malim apud alios quàm coram. Deniq; si inciderit, ut coram quoq; sit faci-

faciendum, malim aliquanto parcius. Sed quam, obsecro, iacturam mihi narras? Cũ antehac de Zasio præclare senserim, tamẽ ex nostro congressu tantum accessit meæ de te opinioni, ut mihi uidear magnitudinem tuã hactenus prorsus ignorasse. Ego iureconsultum duntaxat expectabam, insignem quidem illum & admirabilem, sed tantum iure consultum. Quid autem est in theologorum mysterijs, aut etiam palæstris illis, quod tibi non erutum, non excussum, ac meditatum esse uideatur? Quę philosophiæ pars est, in qua non ita uersatus sis, ut in ea sola uersatus uideri queas? Aut quis omnino liber est, seu ueterum seu recentium, quem non euolueris, non introspexeris, non imbiberis? Quin & arcana illa, quæ uere piũm ac sanctum reddunt hominem, comperio tibi non uulgariter esse obseruata. Iam eloquẽtiam tuæ literæ licet neglectim, & plus quàm extempore scriptæ, satis præ se ferebant: at non expectabam diues istud & exuberans orationis flumen, nusquam non paratum, quicquid undecunque incidisset, Deum immortalem,

qui-

qui sermonis nitor, qui fluxus, quàm fœlix quàm ultro scatens, quàm non accersitus, quàm non affectatus. Extemporalis confabulatio stilum tuum æquabat. Quis nõ admiretur cani capitis tam uirens ingenium? tam prẹsentem paratamq; rerum omnium memoriam? Nihil enim dicam de moribus, quibus neq; grauius aut integrius quicquam esse potest, neq; suauius. Adeò mirè totum Zasium temperauit, artifex optima philosophia. Sed penè imprudens laudum tuarum campum ingredi cœperam. Etiam atq; etiam te rogo, ut aliquando tandem expolitissimas lucubrationes tuas suas in lucem exire. Patere hoc utilitatis studiosis bonarum literarum accedere, patere hoc decoris nostræ adiungi Germaniæ, cui nunc notissimum est Zasij nomen, sed dignum quod uniuersõ innotescat orbi, posteritati quoq; celebre plausibileq; futurũ. Cætera quæ ad hanc rem pertinent, ex Bonifacio Amorbachio iuuene, omnibus rebus affatim expolito, cognosces. Nostrum officium sicubi desiderabitur, ita præstabimus, ut nos ex animo tuos esse intelligas.

Bene

Bene ualè doctissime doctor, & amice incomparabilis. Basileæ, decimo Calendas Septembris. Anno M. D. XVIII.

Erasmus Rot. Aegidio Buslidio. S. D.

ORnatissime Buslidi, posteaquã fatum nullis querimonijs aut lachrymis uerti potest, utinam quæ posteritati, & immortali laudatissimi fratris tui Hieronymi Buslidij memoriæ gloriæq; debentur, ita succedant omnia, ut hac sanè parte cœpit succedere. Commodùm huc appulit Adrianus genere Hebræus, sed religione iam olim Christianus, arte medicus, Hebraicæ literaturæ totius sic peritus, ut mea sententia non alium habeat usquam hæc ætas, qui cum hoc conferri possit. Quod si meum iudicium in hac re non satis habebit apud te ponderis, idem testantur uno ore omnes, quotquot uel apud Germanos, uel apud Italos cognoui huius linguæ peritos. Neq; solum callet ad plenum linguam, uerum etiam in ipsis autorum adytis est diligentissime uersatus: ac libros omnes sic habet in prom-

promptu, ut digitos ungues'q; ſuos. Is ipſe eſt, de quo tibi nuper mentionem fecit Bruxellæ Ludouicus Vacus. Expoſui Theologis qualis ſit, neq; dubitarim meo recipere periculo, hunc unũ eſſe hac ætate, qui nobis fuerit uotis omnibus experendus. Eum poſteaq̃ deus aliquis propitius ultro nobis obtulit, noſtri muneris eſſe uidetur, ut oblatum modis omnibus retineamus. Non meum ago negocium, ſed impenſe faueo memoriæ benigniſſimi patroni, & amici incomparabilis. Faueo publicę temporum noſtrorum fœlicitati cui & ipſe pro mea uirili, tantum uigiliarum impendi, arq; etiamnum impendo. Adeſt ipſe iamdudum apud nos, hortatu modo dicti Ludouici. Impera tuo Eraſmo, ſi quid iudicabis à me præſtari poſſe. Bene uale. Loua. poſtri. Lucæ. Anno M.D.XVIII.

Deſi. Eraſmus Ror. Gerardo Nouiomago S. D.

EGo doctiſſime Gerarde, cum præclarum ſemper exiſtimarim, & in primis optandum, ſummatibus placuiſſe uiris, tamen nulli probari malim q̃ Philippo præ

ſuli,

fuli, cũ meo, tum omnibus modis primario. Scripsit ad nos ante mẽses complures Archiepiscopus Mogũtinensis literas multo humanissimas, atq; adeò ipsius articulis. Scripsit nuper Episcopus Leodiẽsis, minitans se huc aduolaturum, si grauer ad se uenire. Sed ut hęc mihi uoluptati sunt, ita rursus mihi displiceo, pennasq; demitto, quoties succurrit, nihil esse in me, quod tantorũ heroum expectationi respõdeat. Sed heus tu, rem oppidò nouam ex tuis literis accipio. Nesciebã te tã uirgineo pudore præditum, ut ad me nõ ausis scribere. Sæpenumero uidi te rubentẽ, uerę ruboris causam nõ quiui cõiicere. Quod si uera prædicas, mea sententia, nec aula dignus es, nec cucculla. Quare si rẽ facere cogitas, fac quàm primũ frontem perfrices, & inutilẽ pudorã abstergas. In opere noui testamenti iam eò progressus sum, ut licet adhuc iacter alto, tamẽ portus procul sese ostentet, uelut ad sese inuitans. Mitto libellũ Paraphraseos, si fortè nondũ accepisti: eũ amicis eruditis imperties, & si commodũ uidetur, etiam ipsi principi, cũ primis aũt optimo Phi

Iippo Montio, aulę, ut ſcribis, procuratori: quem equidē non poſſum non uehementer redamare, ſuo ſtudio me prouocātem. Ei fac multam ſalutem meis uerbis annuncies. Næuius ac Borſalus te reſalutant. Bene uale Neomage candidiſſime. Louanij, Anno M. D. XVII.

Eraſmus Rotero. Zaſio ſuo S. D.

SCripſi per Philippum noſtrum, perq; eūdem Enchiridiū codicem dono miſi, nec dubito quin utrunq; acceperis. Nos laboribus propemodum obruimur, & gemina difficultate, nēpe Hieronymi & Noui teſtamenti, ſic diſtringimur, ut exiſtimē Herculi minus fuiſſe negociū cum excetra & cancro. Non potuimus tamen committere, quin incōparabilem amicū Zaſium uel ſalutaremus. Per hos labores non licet ullo frui amico, cùm tamen multos habeat Germania. Sed dabit Deus his quoq; finē. Tu ſi cum tuis rectè uales, fac nos tuis literis certiores, quò magis gaudeamus. Bene uale doctiſſime Zaſi. Philippo ſalutem ex

me

me dicito. Resalutat te Beatus, cũq; eo totus hic eruditorum chorus.

Erasmus Rot. Gulielmo Budæo S. D.

PRolixam illã tuam epistolã, ad Idus Apriles scriptã, ad Calendas Septembres accepi, reuectam è Ianua: sed talem, ut haud sciam, an ex utriusq; dignitate sit eã premi. Videor mihi peculiarẽ ingenij tui sensum deprehendisse. Nec dubito, quin ista syncero animo abs te scribãtur, uerùm uereor, ut idem possis cæteris persuadere. Porrò quid si ista ad posteros perueniant? Beatus Rhenanus eã mihi tũ à cœna cæcutienti prælegit, homo doctus ac mire cãdidus: & quod præcipuum est in studijs, sani pectoris. Nõ libet referre, quid ille iudicarit, & tamen præmonitus à me de tuo ingenio in iocis familiaribus liberiori. Cõuicijs certare cũ quoq;, nec uiro dignũ est: cauillis cõtendere, nõ libet. Argumẽtis solidis tãto queã esse superior, quãto tu sermonis apparatu uincis, uel Deloino & Ruxeo iudicib. aut si qs magis habes tuos. Verũ ego unũ

Budæum amicũ malo, quàm decemeiusmodi uictorias. Plus satis est una Apologia. Basileæ perpetuò ferè ægrotaui: in itinere reualueram, sed præterita Colonia, in summum exitium recidi. Adhuc domi desideo. Chirurgus inspectis tribus hulceribus, pronũciauit esse pestem: uerùm falso, ut opinor. Episcopo scribã cũ erit ocium, & tibi item copiosius. Glareanũ meis uerbis salutato, si fortè uideris hominem. Redditæ sunt & illius postremæ literæ. Bene uale. Louanij Idibus Octobris. Anno M. D. XVIII.

Erasmus Budæo suo S. D.

POst tantas epistolarum procellas, quibus me solebas obruere, unde quæso tantum tamq; subitum silentium? Gaudeo si totus es in explicandis Pãdectis iurisconsultorum: sed nõ adeò es, opinor, ut nõ uacet uel paucis significare quod postulo: qd ni facis, colligam aut offensum te, aut prio rem illũ tumultum fuisse ludibriũ. Si quid offensus es, aperi quid doleat, quò uel mederi,

deri, uel in posterum certè cauere possim. Sin ludus fuit illa prior literarum Tragœdia, cupio quicquid est cognoscere. Bene uale doctissime Budæe, Louanij, natali diui Andreæ. Anno M.D. XVII.

Erasmus Budæo suo S. D.

DVas epistolas accepi, eodem fermè argumento: sed quæ mihi declarent superiorem conflictationẽ, incolumi amicitia nostra, inter nos hactenus cõstituisse. Mihi prolixa illa epistola non alio nomine magis displicet, quàm quòd tuũ animũ uidebatur offendisse: cui iam ne potes quidem non æquior esse, quãdo te autore seruata est, cũ ipse eam noxæ dedissem. Precor ut ista legatio tibi feliciter cedat, tuoq; bono tãdem in gratiam redeas cum aula. Quoties tumultus hos animo cõtemplor περὶ τ ἀυτοκράτος, ptinus Horatianum illud uenit in mentẽ, τὴν μωρῶν Βασιλέων Ἀλαῶν. Bene uale. Anno M. D. XIX.

Erasmus Rot. Ioanni Coleto Decano S. Pauli S. D.

PAtronorũ optime, pro tuo in me officio iam egi gratias per Franciſcũ, & ſyngrapham tradidi, qua teſtor mihi de regia pecunia ſatisfactum. Accingor ad iter periculoſiſſimum, ob nuper dimiſſos ſceleratiſſimos prædones, qui militibus aliquot cõglomeratis, ex ſua libidine graſſabãtur in quoſuis. Hæc eſt crudelis principũ clementia, parcere impijs parricidis, & ſacrilegis nepharijs, non parcere ciuibus ſuis. Adeò chariores ſunt illis, per quos opprimunt populũ, quàm populus ipſe. Vtinã adieciſſes duobus uerbis, quare in capite ſeptimo tibi non ſatisfecerim, fortaſſe quod ego ad affectus retuli, tu malebas ad legem Moſaicã referri. Sed Paulus illic adeò lubricus eſt, nunc huc reſpiciens, nunc illuc, ut in his explicãdis ſummopere ſudet Origenes. Aliâs polliceris te ſcripturum, uerũ hoc aliâs ſerum erit. Opere iam abſoluto totus ad uos aduolo, præſertim ſi quid bonæ fortunæ paratũ erit. Quod ut fiat perge, te quæſo, adniti. Bene uale. Calen. Mar. Anno M.D. XVII.

Eraſmus Hermanno Buſchio ſuo S. D.

Diſſi-

DIssidium istud indies glisscere uehementius, quàm credi posset, doleo. Demiror autem non pudere Theologos, & sanctissimæ religionis professores, tumultus istiusmodi concitare, quorũ exitus cuiusmodi sit futurus, incertũ est. Quid lamentationibus illis, aut ineptijs, aut inamœnius, aut indoctius, aut uirulẽtius? Optarim ego clarissimũ Hermannũ à Noua aquila comitem à talibus portentis continere ungues, unde p̃ter pestẽ ac pus nihil queat auferri. Cũ populis res est ei, qui cũ prædicatoribus belligeratur. Lystrium, si uerũ est quod narras, sic ineptisse, molestè fero: hominẽ literis obiurgabo, licet id iã fero facturus, si liber est êditus. Bene uale doctissime Buschi. Louanij nono Calen. Maias. Anno M. D. XVIII.

Erasmus Rot. Vuerterio suo S. D.

EQuidem antehac putabam Germanos armis duntaxat inuictos esse, nũc uideo nulla in re non esse inuictos, postea quàm tu ab Erasmo, & ualetudinarto, &

scribendi laboribus pene exanimato literas etiã ociosas extorquere potuisti. Verbis consequi nequeam, quàm mihi gratus sit tuus in me tam propẽsus animus, & utinam affectibus tuis respondere liceret. Magis tamen philosophicum arbitror, moderatioribus affectibus amicos prosequi, & tempestiuis officijs adesse potius quàm superuacaneis onerare. Quoties laborat amici fama, quoties morbo grauatur, quoties eget pecunia, aut alioqui malo quopiam premitur, ibi conuenit amicum agere, mederi, si liceat: Sin minus, oratione ac literis lenire molestiam. Alioqui quod officij genus est, quod & præstantem ledit, nec ei cui præstatur quicquã prodest? Aut quale est hoc imputare amico in beneficiorũ ratione, unde ille nihil senserit commodi? Sic quidam diuo Iacobo imputant, quod illum magno suo malo adierint: aut Christo imputãt, quod ingẽti periculo suo Hierosolymam uiserint: cùm utrunque uerioribus officijs domi licuisset demereri. Iam pridem in libris meliorem Erasmi uideras imaginem, si qua tamẽ bona est: imò iuxta Pla-

Platonem, totum uideras Erasmum. Quid igitur supererat tantis expetendum itineribus? Verus amor animis constat, quem sæpenumero uel dissoluit, uel imminuit corporum coniunctio. Sed inhumanus sim, si uerè succenseam tibi, qui ob hoc ipsum dignus es, qui redameris, quòd amas impotentius. Bene uale. Louanij, decimoquarto Calendas Nouembris. Anno M. D. XVIII.

Erasmus Rot. Nicolao Gerbellio iuris Pontificij Doctori S. D.

VT insigniter & ex animi sui sententia me meus genius malus hoc anno exercuit, doctissime Gerbelli. Tragœdiã malorũ meorũ cognosces ex meis ad Beatum Rhenanum literis. Adhuc in manibus chirurgorum sum domi alligatus. Dabit Christus Opt. Maxi. ubi merebimur, imò ubi dignabitur ipse meliora. Nos in tantis malis animo semper infracto fuimus. Vtinam audiam Schurerium meum reualuisse. Salutabis sodalitatem totã, sed

præcipue Sturmium, tum Gebuuilerium, & Rudalphingium, qui solita sua benignitate, in diuersorio me immunẽ esse uoluerunt, quasi parum fuisset suo cõuictu & ornasse, et uoluptati fuisse. Iãscis opinor, Brunoni quoqꝫ Amorbachio esse q̃d amplectatur in somnis. Precor, ut tibi res feliciter cœpta, feliciſſimè succedat. Saluta diligenter nouum amicum Barthodiũ. Sic ditesco indies. Inuisit nos Helius Eobanus homo cãdidus, in uersu Nasonis facilitatẽ referens, nec in prosa oratione sui dissimilis. Venerat ab Erphurdia tm̃ ut Erasmũ uideret. Animum probo, officiũ non probo, quod grauat præstantem absqꝫ fructu eius cui præstatur. Cœlũ hic adhuc purum est: laborarunt pauci, sed malo aliunde inuecto. Bene uale doctiſſime Gerbelli, & Erasmũ ama, facturus hoc mihi crede mutuum. Louanij, XIII. Calen. Nouemb. Anno M. D. XVIII.

Erasmus Rot. Christophoro Eschenueldio Telonæ Popardiensi S. D.

Quid

QVid tam præter ſpem euenit, quàm quod Cinicampianũ noſtri ſtudioſum Popardiæ reperi? Imò telonem Muſis honeſtisq; ſtudijs addictum? Chriſtus in probrũ Phariſæorum uertit, quod meretrices & publicani præcederẽt eos in regnum cœlorũ. An non æque dedecoroſum, quod ſacerdotes & monachi per luxum & ocium uentri uiuunt, dum telonæ bonas literas amplectũtur? Illi ſe totos gulæ conſecrant. Cinicampianus ſe Cæſari, ſtudijsq; partitur. Satis præ te ferebas, quã de nobis opinionem concepiſſes. Præclarè mecum agitur, ſi nihil ab eo detriuit noſtri conſpectus. Sed heus tu, uinum illud rubellum mire placuit nautæ uxori, mulieri mammoſæ biboſęq;, adeo ut ſæpe appellata nulli uoluerit impartire. Hauſit affatim, ſed mox ad arma. Ancillam penè occidit magnis cochlearibus. Pugna uix poterat dirimi. Mox egreſſa, maritum aggreditur, & periculum erat, ne illum è naui in Rhenum præcipitem daret. Habes uini tui energiam. Tragœdiam malorũ meorum ex meis ad Beatum literis cognoſces, ſi mo-

modo uacabit legere. Bene uale ut animo meo chariſſime. Ioannem ſammineum ui rum eruditũ, uereq; Chriſtianæ puritatis, meo nomine ſaluta. Louanij XIII. Calend. Nouemb. M. D. XVIII.

Eraſmus Rot. Germano Brixio S. D.

EPiſtola tua mi Brixi nõ ſimplicẽ mihi uoluptatem attulit. Nã primũ ſuauiſſimæ conſuetudinis, quæ mihi tecum fuit Venetiæ, mox Patauij, memoriam mihi magna cum uoluptate renouauit. Deinde declarat, te non ſolùm incolumi eſſe ualetudine, uerùmetiam fortunis auctum, ac dignitate: qua re quid nũciari poterat optatius? Poſtremò palam arguit, quàm tecũ ipſe feliciter certaris: id uidelicet agens, ut cùm iam olim uena carminis eſſes feliciſſima, parẽ in oratione proſa facultatem obtineris. Quòd attinet ad laudes, quas tu ταῖμ ἀμφοῖμ in me congeris, facilẽ boni cõſulo, ſi modò tam amas immodicè, quã non modicè prædicas. Tametſi ne quid men-

mentiar, eximij præsulis Stephani Põcherij, Francisci Deloini, Gulielmi Budæi laudes, nõ paulò maiore cum uoluptate legi, quàm meas. Me uerò dum doces, quantum debeam episcopi studio, quantum literarũ proceribus, Deloino & Budæo, gratum est, quod officij quoq; mei me commonefacis. Cæterũ quò prolixius me laudant isti, hòc magis deterrent ab adeunda Gallia. Nam qui ausim uenire tã onustus, ut istis tam magnificis prçconijs scirem esse respondendum? Mihi semper arrisit Gallia: neq; clam est, quàm hic inuisæ sint bonæ literæ, τυραννεόντων μοναχῶν τίνων ψευδωνύμων & ματαιολόγων, qui facilè Paphlagonibus, ac Midis imponunt. Sed adhuc nescio, quibus compedibus me meus alligat genius. Amplissima sunt fateor, quç mihi liberalissimi regis nomine deferũtur: apud me tamen plus habet momenti, tam insignium uirorum familiaritas, quàm regium autoramentum: quandoquidem & hanc uestro nomine pro se quisque pollicemini. Fortunam istam iterum atq; iterũ tibi gratulor, tam amplam, ut putes utriusq; nobis

nobis ſuffecturam: quãdoquidem inuitas ad eius conſortium. Rumuſculus quidam, incertum quo autore natus, apud nos ſparſit te offenſum Epigrãmatis Thomæ Mori, neſcio quid moliri dentati libelli aduerſum illum. Id nequaquam facies eruditiſſime Brixi, ſi quid omnino audies Eraſmũ. Neq; tamen iſthuc perinde illius cauſa nolim, quàm tua. Si Morum penitus noſſes, fatereris nihil uſquam gentium eſſe dignius tuo amore. Cur læſit? inquies: Non ſcripſit illa in Brixium, quem non norat, ſcripſit in Gallum, & ſcripſit in medio bello. Nunc æquum eſt, harum reꝝ memoriam, poſt arctiſſimam pacem in duos populos initam, penitus inter uos aboleri. Expedit autem & publico bonarũ literarum nomine, harũ myſtas inter ſeſe συγκρητίζειν, poſteaquã tam odioſe conſpirant οἱ μισόμουσοι. Poſtremò, nolim eos inter ſe diſſentire, quorum utrũq; pari complector amore. Hic ſcio, clamabis me pluſquam Diomedem agere, qui tam prolixæ epiſtolæ tamq; diſertæ tribus uerſibus, ijſq; incondi tis reſpondeam; ſed æquior eris nobis ſat ſcio,

scio, si cogites mihi cũ maximis uoluminibus rem esse: siq; reputes unus quàm multis respondeam penè quotidiè. Bene uale. Louanij. Anno M. D. XVIII.

Erasmus Rot. Ioanni Falconi suo S. D. Epistola iocosa.

TV caue salutem à nobis expectaueris. Deuoueo te, quoties tua mihi conuicia in mentem ueniũt, quoties toruos illos oculos animo contueor, quoties os illud, ad meras contumelias compositum. Itaq; amare te planè non possum. Minus quidẽ odero, si bonas literas lucellis tuis præponere poteris. Fata mea me hactenus persecuta sunt. Iter enim habuimus ad prodigiũ usq; asperũ atque sæuum: cætera Batti mei fatis debeo. Nam dominæ candorem, beneficẽtiam, humanitatem, comitatem, modestiam, si tibi perscripsero, cũ uix aliquã essem partẽ oratione consequutus, mẽdacissimus tamen uiderer ei, qui ipse expertus non esset. O te miserum, qui me sequi sis grauatus. Quid te fuisset beatius? Sed gau-

gaudeo tuã ſuperbiam tibi nocuiſſe. Poſthac ſape, poëtas fuge, & lanios ſequere. Breui iſthic adero, ſi ſuperi adiutabunt. Tu & quæ habes ſerua, & quæ potes cõtrahe, ne quid in mora ſit ubi uenero. Finem imponã epiſtolæ, ſi te paucis monuero. Fruſtra ſapit qui ſibi non ſapit. Mirare literas, & lauda: ſed lucrũ ſequere. Caue tibi ipſe diſpliceas: ea res formæ uenuſtatẽ obſcurat. Cutem ante omnia cura. Omnia tuis commodis poſtpone. Amicitiam tua cauſa cole. Eruditionẽ parcè attinge. Ama ardenter, ſtude modicè, uerborũ prodigus, pecunię parcus eſto. Plura monẽdus eras, ſed uale eſt, aulico ritu, dominæ dicendũ: & cras in Hollãdiam auolo. Meliorem ueſtem domi relinquo. Scis quamobrem? Timeo ne ſorores eam tuæ lacerẽt. Eſt enim mihi Antuerpiam faciundum iter. Nũc uide, num nihil in me ſit ſalis, & tu ſapias ſolus? Literas tuas adeò non expectabo, ut haud ſciam an has ipſe præuertam. Tu tibi uiue, & uale tibi: & te ſolũ, quod facis, ama. Ex arce Tornẽhenſi, III. Nonas Februar. Anno M.CCCC.XCVII.

Eraſmus

Erasmus Rot. Richardo Vuitfordo Gulielmi Montioi à sacris S. D.

COpiosissimam ad te epistolam scribere gestiebat animus Richarde candidissime, ni & ocium deesset, & propediem uos ipse uisere decreuissem. Non purgabo me, quod antea nõ scripserim, coràm eam causam agere malo, & absolues me spero. De tuo Comitisq; cãdore plurimus, & frequẽs cũ meo Batto mihi sermo fuit. De uestro quidẽ animo gaudeo, at tam sero esse cognitum doleo. Nos ubi patriam uiserimus, isthuc continuò recurremus, tum plenis, ut aiũt, buccis nugabimur. Interim cura, ut bene ualeas, teq; tua philosophia oblectes. Priori apud Diuam Genouefam, Gulielmo Canonico ὁμοτραπέζῳ, cõterraneo tuo meis uerbis salutem dices, præterea familiaribus reliquis nominatim.

Erasmus Cornelio Canonico S. D.

ADeo'ne superbum te Gallia remisit,
Aut plebeios amiculos fastidire cœpe

D rise

ris? Satrapis scribis, Erasmo non scribis. Quo meo merito? sed habes causam probabilem, & haud scio an ueram. Nihil minus opinabar, inquis, quàm te in Francia resedisse, qui tum certo consilio in Italiam iter parabas. Age, nihil refello, accipio causam, modò hoc damni, quàm uerbosissima epistola sarcias. Noui quod scriberem nihil erat. Me tui esse amãtissimum uetus est. Boschio quid acciderit miror, iampridem eñ ab eo nihil redditur. De nostro recessu hîc mussatur. Tu fac de toto tuo itinere, rerumq; tuarum statu ut sciam. Si quid hîc meo studio, cura, diligentia præstari posse iudicabis, id pro tuo iure audacter à me flagitabis. Meã dignitatem ne tibi commendem, arctissima nostra & uetus necessitudo postulare uidet. Gulielmũ meum, imò tuũ, tuis monitis excitare ne desinas, ut aliquid se dignum moliat. Meis de reb⁹ certi nihil significare potui, cũ omnia penderẽt. Valem⁹ adhuc, & te uehementer amam⁹. Petrũ nostrum quod facis, fac quàm arctissime cõplectare. Si in his, quę tibi ꝑ nostra necessitudine impartiȷ̃, ut Harpocrati satisfa-

tisfacias, admoneã, uidebor parũ rectè de tua fide, deq; tuo in me animo sentire. Quã quam sunt q te nescio quid insimulẽt, tanquam meã absentis dignitatẽ paꝛ integra fide fueris tutatus. Mea uerò sic est de tua integritate confirmata opinio, ut de meipso sim priùs, q̃ de te dubitaturus. De nobis hoc tibi psuadeas uelim, Erasmũ tui amantissimũ & esse, & dũ uiuet, fore. Bene uale. Lutetiæ. Anno M.CCCC.XCVI.

Erasmus cuidam Lubecensi S. D.

SAlue uir integerrime. Filius tuus apud me uiuit, & à me docetur, ijs quidem conditionibus, quas ab Henrico accepi, qui mihi nomine tuo triginta duos coronatos, & uestem promisit. Aegrotauit grauiter nuper, sed cõualuit Dei beneficio, & medicorum opera. Fuit in tutela mea complusculos menses, quibus ei, quibus erat opus, suppeditaui. Mense Octobri puerum in familiam meam adiunxi: curatur à me nõ ut alienus, sed ut ex mẽ natus. Ingenio

præditus est singulari: mores pro ea ætate tractabiles sunt, & tollerabiles. Dabo operam, quantum quidē in me erit, ut tibi eum restituam, & me præceptore, & te patre dignum. Libros eius nondum ad meas manus perferri miror. Antuerpiensis ille mercator scripsit se per quendam mercatorem Parisiensem transmisisse, & eum nominat, uerùm is constanter negat. Pecunias adhuc nullas eius nomine accepi. Augustinus, sub cuius tutela erat, dum ego ualetudinis causa in patria abessem, ab Henrico quinque aut sex florenos sese accepisse fatetur. Is eum tres mẽses & aluit, & docuit, quòd ego me tum in Italiam concessurum putabam. Ei eas pecunias reliqui pro opera sua: præterea quod de ratione diminutum erat, adieci, apud illum enim ægrotabat: præterea meo sumptu uestitus est. Cœperat hîc, nescio quæ febris pullulascere, sed non admodum frequens: quare in locum urbis aptissimum atq; saluberrimum demigraui, quod malum si repullulauerit, longius fortè concedam. Nihil enim nobis salute antiquius esse debet & uita. Nam

bene

bene uiuere, nisi uiuamus, non possumus. Qua in re de tua sententia certior fieri cupio, placeat ne puerum me consequi. Narrabat enim Henricus, etiam si filium tuum in Italiam duxissem, me id te approbante facturū. Habes de rebus nostris omnibus: reliquum est, ut de toto animo tuo nos faci as certiores: uerum neq; pecunias, neq; literas, nisi p certissimū tabellariū miseris: nec Parisios miseris, sed ad eum mercatorem Antuerpiensem: ne si hinc concessero, illæ ad alienas manus perferantur. Hoc quoq; ad me perscribas uelim, cui uitæ generi filiū tuū destinaueris, & quibus potissimum literis imbui placeat. Finis enim unaquaq; in re præfigi debet, ad quem oīa tanquā ad signū conferantur. Nam quanquam omni quidem literarum genere pueri sint instituēdi, refert tamen, quo sua studia destinent, ut cū omnia perdiscere nō liceat, saltem aptissima discamus. Hæc pluribus ad te scripsi, quàm debui, & quidē Latinè, non fastidio linguæ nostratis, sed quòd neq; facile id potuissem, neq; tu facile intellexisses. Te cum optima cōiuge tua, uniuersaq;

familia bene ualere, precor. De me ita tibi tuisq; persuadeas, in instituendo filio mihi neque fidem, neq; solicitudinem, neque diligentiam defuturam. Lutetię. Anno M. CCCC.XCVII.

Erasmus Christiano S. D.

NOn tu Erasmi calamum metuis, tam audacis tibi facinoris conscius? quippe qui Henricū delicias meas, à me distraxeris. Deseruit me & Robertus Anglus, sed alia longè ratione: summa nimiæ perfidia, ita ut illum decuit. Sed extra iocum, cōsilium uestrum non modò iniquo animo non fero, uerùm etiam uehemēter probo. Consultius enim est sarcinam maiorem abijcere, quàm sub onere iniquo concidere: illius uirtuti perinde ut meæ gratulor. Tu fac fratrem imiteris, & Erasmum uel absentem diligas. Rodolphum Langium admoneas uelim, ut & meis literis, & suis promissis satisfaciat. Bene uale. Lutetiæ M. CCCC.XCVI.

Erasmus

Erasmus Ioanni Bruxellensi S. D.

EGo uerò quodnã ad te scribendi initium capiã, prorsus hæreo: nec quem incusem scio, quorũdam ne hominum, q̃s tu plus satis nosti, perfidiam, an Antoniæ ineptam argutiam, an meam potius credulitatem? Sed tota hac de re mutire satius. Hoc unum dicam, me pro meo officio summam inuidiam undique contraxisse. Itaq; ex illis ædibus Erasmus exulat, alij regnãt, inuita quidẽ, ut suspicor, Antonia. Sed hæc coram melius. Interim fac antiquum istũ animum in nos obtineas: omnes quibus cũ isthic uiximus nominatim meis uerbis salutabis diligenter. Seorsum autem D. Vicario me etiam atq; etiam commẽdabis. Bene uale, nosq; mutuo dilige. Lutetiæ. Anno M. CCCC. XCVII.

Erasmus Nicasio sacellano Cameracensi suo S D.

QVanquam antea mihi literarũ nomine charissimus esses Nicasi doctis-

ſime, difficile tamen dictu fuerit, quãtus cu mulus meo in te amori ex illo noſtro con uictu acceſſerit. Antea me tibi deditiſsimũ habebas, nunc multo deuinctiorem. Sed ſuſpecta quędam res eſt, uerbis beneficium rependere. Tu ſi mei in te animi periculum facere uelis, aliquid uiciſsim oneris impone. Nullam ſarcinam tam grauẽ, tam moleſtam inieceris, quæ mihi tua cauſa nõ leuiſsima, non etiam iucunda uideatur. Epiſtolam tuam reddidi diligẽter. Thomam Cameracenſem tuo nomine ſaluere iuſsi. Tu quod es pollicitus fac præſtes, ut ad me quàm ſæpiſsimè ſcribas. Michaẽlem Pauium præceptorem meum, nominatim uerò illum hoſpitem, uirum (ita me Deus amet) epiſcopatu dignum, cuius nomen excidit, humanitas, comitaſq́, qua me iſthic tractauit, nec excidit, nec excidet unquam, meis uerbis ſalutabis accuratè & tuo more, hoc eſt, diligentiſsime gratias ages. Bene ualere te cum tuis omnibus precor. Pariſijs, poſtridie Idus Decemb. Anno M. CCCCC. XCIX.

Eraſ-

Erasmus Roberto Ganguino S. D.

SIngularis tua humanitas, qua non minore cum laude uincis omnes quàm eruditione, mihi hanc ministrat fiduciam, ut tametsi nihil promeritus, audeam tamen tuum officiũ tam libere requirere. Est mihi cum Macrobio homine (ut scis) perquã festiuo aliquot dierum colloquium. Eum quæso, ut è tua doctissima Bibliotheca ad nos ire iubeas. Nam tu quidem in tanta optimorum authorum copia, Macrobium unum non desiderabis, & nos in hac nostra inopia uehementer delectabit. Vale, ac nos tibi iam pridem deuinctissimos, deuinctiores reddito Lutetiæ. Anno M. CCCC. XCIX.

Erasmus Petro Aegidio S. D.

SCripturus eram ad te, nam ita decreueram mi Petre, uerùm interuenêre nescio quæ, quæ propositum hoc excuterent. Laurentius, & alia quædam collectanea tua, sunt in tuto, iam que ad te rediissent, ni

consilium tuum displicuisset. Nam si huc ad Pascha uenturus es, ut scribis, sine causa libros repetis: si non es uenturus, tum mittentur, ubi uidebitur. Nam nihil est periculi, ne quid pereat, præsertim me aduigilante. Cùm Antuerpiæ proximè essem, pater adito me, uolebat dicere nescio quid magnum ac serium: uerùm erat abeundum mihi. Suspicabar agi de te mihi committendo: quam equidem rem neqꝫ suasurus sum, ne uidear mei compendꝫ gratia cupere: neque dissuasurus, quum percupiam tibi prodesse, & uideo quantum possim, si mecum menses aliquot fueris. Et utinam patri mens ea fuisset prius, quàm isthinc abirem. Vale, & undecũqꝫ potes, collige Rodolphi Agricolæ opuscula, tecum'que deporta. Ioannes Gorcumensis salutem multam iussit tibi adscribi. Lutetiæ. Anno M. D. III.

Erasmus amico cuidam.

PER tuam humanitatem. N. iucundissime, obsecro ut mihi ignoscas, quòd neqꝫ

neq; multa, neque digna te, tibi ſcripſerim. Crede mihi, uolũtas ardentiſſima erat: ſed in luctu iocoſa ſcribere, perdifficile eſt. Nondum me collegi, nõdum ad me rediĩ, conor tamen Muſis adiutricibus, aliquid te dignum tibi dedicare. Verùm ne me interim tantillum laboris tua cauſa defugiſſe putares, imperaui, ut potui, animo meo: ac Dionyſiolam noſtram ſum imitatus, quæ nonnunquam, ut ſcis, cum lachrymis canit ac ſaltat. Vbi in antiquum animum rediero, nihil à me fruſtra petes, quod quidẽ præſtare queam. Te pro noſtra neceſſitudine hortor, ut toto animo literis incumbas, nihil dubitans quin bonam partem ſis aſſecuturus. Quas ſi amabis, me odiſſe non poteris. Hortor igitur te, non ſolũ tua cauſa, uerùm etiam mea. Bene te ualere cupio. Omnes tuæ familiæ rectè ualere precor. M.CCCC.XCVIII.

Eraſmus cuidam.

QVod priſtinam meã ſcribendi conſuetudinem intermiſſam miraris, nihil

hil eſt quod ſuſpiceris mali: neque enim (quod ſemper fui) tui amantiſſimus eſſe deſij. Bene uale.

Eraſmus cuidam.

VBi noſtrum N. iſthuc iturum intelleXiſſem, nolui inanem uenire, præſertim qui me obnixè rogaret, ut ſeſe apud te commendatum facerem. Obſecro itaq; ut eum pro tua uetere conſuetudine tractes. Nõ clam me eſt, nec ille quidem ignorat, quantum poſsis, quantumq; mea cauſa uelis. Effice ne uel illum ſua ſpes, uel me mea de te opinio fallat. N. quidem tibi nouum amicum cõparaueris, me uerè arctius deuinxeris. Vale.

Cuidam.

CRebrius ad te ſcripſiſſem N. humaniſſime. Soleo enim huiuſmodi officiorum genere cum amicis perlibẽter uti, uerùm uerebar, ne ſi aut tua ſtudia interpellatione mearum literarum interturbarem, aut non perinde ijſdem officijs delecta-

tarere, improbus potius, quã beneuolus uideri possem. Nũc certè continere me diutius nequaquam potui: dicam enim simpliciter: non quòd ocio abundarem, quod unum in totum mihi interdixi, sed ne consuetudinis intermissio, de pristina mea in te beneuolentia quicquã minuisse uideretur. Ita enim de te prorsus sentio mi N. ut ni tu me singulari animo complecteris, tota errem uia. Quid rerum faciam rogas? Amicis operam do, horum consuetudine gratissima memet oblecto. Quos tu tandem amicos mihi iactitas, inquis, homuncio leuissime? an quisquam te uisum aut auditum uenit? Equidem non diffiteor fortunatorum amicos esse plurimos: at nec pauperibus desunt amici, & quidem istis non paulo tum certiores, tum commodiores. Cũ his me concludo in angulum aliquem: & turbam uentosam fugiens, aut cum illis dulcia quædã musito, aut eos aliquid insusurrantes audio, cũ his non secus ac mecum loquor. An quicquam his commodius? Arcana ipsi sua celant nũquam, commissa summa cum fide continent: nihil foras

ras quæ liberius inter familiares effundere ſolemus, renũciant: uocati præſto ſunt, inuocati non ingerunt ſeſe: iuſſi loquuntur, iniuſſi tacent: loquuntur quæ uoles, quantum uoles, quóad uoles, nihil aſſentantur, fingunt nihil, nihil diſſimulant, uicia tua tibi liberè indicant, nemini obtrectant: aut iucunda dicunt, aut ſalutaria: ſecundis in rebus moderantur, conſulantur in afflictis, cum fortuna minimè uariantur: in omnia pericula te ſequuntur, ad extremos uſq; rogos perdurant: nihil illis inter ipſos candidius. Committo ſubinde nunc hos, nunc illos mihi aſciſcens, omnibus æquus. Cum his amiculis optime N. ſepultus deliteſco. Quas ego tãdem opes, aut quæ ſceptra cũ hac deſidia commutauero? Verùm ne noſtra te fallat metaphora, quicquid de amiculis hactenus ſum locutus, de libris dictũ intelligas, quorum familiaritas me planè beatum effecit: hoc ſolo infortunatũ, quòd non tecum mihi hæc felicitas contigerit. Te, quanquam nihil opus, hortari non deſinam, ut toto animo præclara ſtudia complectaris; ne quid plebeium, ne quid medio-

diocre mireris, ad ſumma ſemper enitere. Spero futurũ aliquando, ut me & fideliter, & amanter conſuluiſſe, nõ ſemel fatearis. Concepi de facetijs, prouerbijs, ſentẽtijsq; negociũ. Deguſtamenta quædã ad te dedi, quorũ plus tria milia me annumeraturũ bre ui confido, opus ut auguror, tũ gratioſum, tum perutile, hactenus à nemine tentatum. Quod ſi tibi cordi eſſe intellexero, erit cur & libentius, & ardentius eũ laborem ſuſcipiam. Interim uale, nosq; q̃d facis, ama.

Eraſmus Rot. Auguſtino ſuo S. D.

DE meo in te animo, ex literis, quas iſthic reliqui, potes cognoſcere. A bimeſtri penè peregrinatione, uix demum apud Brutum noſtrum conſedimus. Crebri rumores adferuntur, peſtem iſthic popularі omnia. Quod ſi tu è re tua ducis eſſe, ut huc commigres: quod ſcripſi, id ipſa re comperies. Caue ſuſpiceris meam iſthinc migrationẽ ulla cum maleuolentia, dolo ue fuiſſe iunctam. Emoriar ſi antehac

unquam

unquam perinde nolens reliqui Lutetiam: sed crebra me funera territabant. Quod si propter ueteres offensas, nõnulla animum tuum habet suspicio, nostri periculum faci to: intelligas faxo, sic te à nobis amari, ut antehac friguisse uideamur. Toto itinere nihil usquã de tuo reditu potuimus cognoscere, id quod partim dolebam, partim etiam mirabar. Tandem Antonius quidam narrabat audisse se quendã, qui te Lubeci à se uisum conuentumq; affirmaret, uel hoc argumẽto, quod Laurẽtianas Elegantias à me quondam concinnatas in compendiũ, tibi tradidisset. Nec ad hunc usq; diem, uel certus, uel incertus huc rumor allatus est, te Lutetiam reuertisse. Eoq; scripsimus, tũ breuius, tum neglectius, ne maioris operæ aleam tentaremus. Tu si iam reuersus es, saltem de toto tuo itinere, reliquisq; fortunis epistolam quàm longissimam texito. Rudolpho tuo multis de causis quam commendatissimus esse cupio. Nicolaum reliquosq; discipulos tuos, optime de me meritos, meis uerbis saluere iubebis. Tu cura ut ualeas. Huc si aduolas, quanquam hoc

uix

uix audeam ſperare, nihil polliceor uerbis, re faciam, quæcunq; digna ſunt gratiſſimo homine, atq; amantiſſimo. Apud Sanctum Bertinum. Anno M. CCCC. XCVII.

Eraſmus Rot. Arnoldo Boſchio S. D.

COmpluſculas iam epiſtolas eodem propè tenore abs te recepi: quod me tibi ſuſpicaris iratum, ni ſine cauſa faceres, ferrem profectò iracundè, quod de homine tui amantiſſimo tam non amanter ſenſeris. Vale.

Eraſmus Batto ſuo S. D.

VIde quantum maledicendo ualeas. Vnica tantũ epiſtola uictus, do manus, harena cedo, in Angliam uſque profugio: hîc certè me à tuis cõuicĩs tutum fore cõfido. Nam ſi me perſequi uoles, alter tibi adeundus erit orbis: & pigriciam propè noui tuam, qui tametſi mediis in fluctibus es natus, nihil tamẽ peius odiſti fluctibus. Quod ſi huc quoq; tuæ conuiciatrices epiſtolæ penetrabunt, audio in ultima Britannia Orchadas eſſe Inſulas. In has aufu-

E giam,

giam, etiam si quid est Orchadibus remotius, uel ad Antipodas usque. I nunc, & de gloriosa uictoria magnificum triumphum agito. Bene uale. Parisijs. An. M.CCCCC. XCVII.

Erasmus Fausto Andrelino poëtæ Laureato S. D.

DEum immortalem, quid ego audio? Ita'ne Scopum nostrum repentè è Poëta militem esse factũ, ac pro libris horrida arma tractare? At quanto melius cum Delio Volsco (sic enim se nominauit) depugnabat? Quem si cõfeciſſet, bone Deus, quãtus triumphus hominẽ manebat. Nos quoque in Anglia nonnihil promouimus. Erasmus ille, quem nosti, iam bonus propemodũ uenator est, eques non pessimus, aulicus non imperitus, salutat paulò blandius, arridet comius, & inuita Minerua hæc omnia. quid mea? satis procedit. Tu quoq; si sapis, huc aduolabis. Quid ita te iuuat hominem tam nasutum inter merdas Gallicas cõsenescere? Sed retinet te tua podagra

dagra, ut ea te saluo pereat malè. Quanquã si Britãniæ dotes satis pernosses Fauste, næ tu alatis pedibus huc accurreres: & si poda-gra tua non sineret, Dædalum te fieri optares. Nam ut è plurimis unum quiddam attingam. Sunt hîc Nymphæ diuinis uultibus, blandæ, faciles, & quas tu tuis camœnis facilè anteponas. Est præterea mos nũquam satis laudatus: siue quò uenias, omnium osculis exciperis: siue discedas aliquò, osculis dimitteris: redis, redduntur suauia: uenitur ad te, propinantur suauia: discedi-tur abs te, diuiduntur basia: occurritur ali-cubi, basiatur affatim: deniq; quocunque te moueas, suauiorũ plena sunt omnia. Quæ si tu Fauste gustasses semel quàm sint mol-licula, quàm fragrantia, profectò cuperes non decennium solùm, ut Solon fecit, sed ad mortem usq; in Anglia peregrinari. Cæ tera coram iocabimur: nam uidebo te spe-ro, propediem. Vale, ex Anglia. Anno M. CCCC.XCIX.

Faustus Erasmo suo
S. D.

FRugalem omnino mihi cœnã poſtulo: nihil uolo præter muſcas & formicas. Bene uale.

Eraſmus Fauſto ſuo S. D.

QVæ malum, tu mihi obijcis ænigmata? Num me Oedipum putas, aut Sphingem mihi eſſe domi? Quanquã equidem ſomnio tuas muſcas, auiculas, formicas, cuniculos uelle. Verùm alias iocabimur, nunc cœna emenda eſt, quare ænigmatiſtes eſſe deſinas oportet. Vale.

Fauſtus Eraſmo S. D.

NVnc planè intelligo te Oedipum eſſe, nihil uolo præter auiculas, & quidem paruulas, de cuniculis abſit. Vale optime ænigmatum interpres.

Eraſmus Fauſto ſuo S. D.

VT tu iocoſiſſime Fauſte, eadem opera & mihi ruborem & Theologo illi ſtomachũ excitabas: aderat enim in eodem auditorio. Verùm non expedit, opinor, irritare crabrones. Bene uale.

Fauſtus Eraſmo ſuo
S. D.

Fau-

FAustum pro suo Erasmo, uel emori audacter posse, quis nescit? Blaterones istos tanti omnino faciamus, quãti culicem elephantus Indicus. Vale. Faustus inuito liuore tuus.

Erasmus Ganguino.

SAlue ornatissime uir. Vide quæso, q̃ sit insigni impudẽtia tuus Erasmus. Nunquam illi Ganguinus in mentem uenit, nisi cùm eget. Opus est mihi ad pauculos dies Trapezontio de Rhetoricis præceptionibus (nõ rogo habeas ne, scio nihil bonorũ authorũ tibi non esse) huius uelim mihi tua humanitas copiam faciat. Quintilianũ unà cũ hoc conferre cupio, utrunq; propediem ad te saluum remissurus. Bene uale, ac nos ama. M. CCCC. XCIX.

Erasmus Ludolpho suo S. D.

HOc unum mihi crede Ludolphe optime non committam, ut munus tuum, sensi enim abs te profectum, malè col-

locasse uidearis. Cœperam quędam ad Latinè discendum mirè conducibilia: ea tibi perfecta hinc mittam. Deinde nunquã desinam excudere quippiam, quod tua studia possit prouehere. Tu modò maximo animo in honestissimas literas incũbe, simúlque doctos uiros fouere perge. Bene uale charissime adolescens. Lutetiæ III. Calendas Maias.

Erasmus Nicolao à Burgundia
Præposito S. D.

SIc te amo, ut meo erga te studio nulla Epistola non sit futura breuissima: ita sum occupatus, ut negocijs meis nulla quã libet breuis nõ sit longissima futura. Veteres illi poëtas, & homines eloquentes allegoricè cygnos appellabant: neque id opinor, temere: nam ut hi plumis, ita illi pectore candidissimi: utriq; Phœbo sacri: utriq; lympidis amnibus, & pratis irriguis impensè gaudent: utriq; canori: sed hodie maximè nostrate cœlo obmutuisse uidemus utrosq;, ac ne morte quidẽ uicina fieri uocales.

cales. In causa est, uti conijcio, quòd authores sunt Physici, olorem non nisi spirante Fauonio canere: & miramur nunc omnes mutos esse cygnos, cum tot spirent Boreæ, tot Austri, nulli Zephiri? Nam mihi quidē Britannicus ille Aquilo, unà cum nummis ita uocē ademit, ut non lupus æquè possit, q te prior uiderit. At non flant Zephiri, nisi Vere ineunte. Quare humanissime Præpo site, si tu dominæ Verensi, patronæ meæ Ver fueris, illaq; mihi Fauonius aspirauerit, ego uicissim utriusque cygnus fuero, ita canorus, ut ipsa etiā exaudiat posteritas. Nihil habeo necesse ænigma euoluere, nimirum Oedipo scribens, nō Dauo. Tantum Alletum illū Battū, quē mihi pollicitus es, apud dominā paulisper expedi. Bene uale. Datū Lutetiæ, septimo Calen. Februarias. Anno M. CCCC. XCVIII.

Erasmus Arnoldo S. D.

SAlue mi Arnolde, Iam sesqui mensem grauiter laboro febri nocturna, lenta quidē illa, sed quotidiana, quæ me penitus extinxit. Nondum sum morbo liber, sed

tamen aliquanto recreatior: nõdum uiuo, sed affulget aliqua uitæ spes. Petis ut tibi animi mei consiliũ cõmunicem: hoc unum habe, mundum mihi iamdudum obolere: damno spes meas. Nihil aliud cupio, quam mihi dari ocium, in quo possim totus uni Deo uiuere, deflere peccata ætatis inconsultæ, uersari in scripturis sacris, aliqd aut legere aut scribere. Id in secessu aut collegio non possum. Nihil enim me tenerius: nec uigilias, nec ieiunia, nec ulla incommoda fert hæc ualetudo, etiam cũ est prosperrima. Hîc ubi tantis in delicijs uiuo, subinde in morbum incido: quid facerem inter labores collegiales? Decreuerã in Italiam hoc anno concedere, & Bononiæ aliquot menses Theologiæ operam dare, atq; illic doctoris insigne accipere: deinde in anno Iubilæo Romam uisere, quibus confectis ad meos redire, atq; isthic uitã componere. Sed uereor ne hæc ut uolumus, conficere non possumus. Metuo in primis ne tantum iter, & regionis æstum ualetudo hæc non ferat. Denique reputo, nec in Italiam ueniri, nec illic uiui sine summo sumptu.

Ad ti

Ad titulum quoq; parandum grandi ſumma eſt opus. Et Epiſcopus Cameracenſis dat perparcè. Omnino benignius amat, q̃ largitur, & prolixius om̃ia pollicetur, quã præſtat: ipſe propemodum in cauſa ſum, qui non inſtem. Et ſunt tam multi, qui uel extorqueant. Faciam tamen pro tempore, quod factu uidebitur optimum. Bene uale. Anno M. CCCC. XC.

Eraſmus Chriſtiano mercatori Lubecenſi S. D.

EXpectabas tu quidem fortaſſe copioſam Epiſtolam per fratrem tuum, ſed erras uehementer. Siquidem optimis legatis literas committere ſolemus, aut nullas, aut quàm breuiſſimas. Ceſſator, nugator. Vah quibus te accepiſſem modis, niſi dolor animũ ademiſſet. Iam tibi deſtinaram Epiſtolam, ut dignus es, mille conuicijs refertam. Addis ſceleri ſcelus, nõ modò non ſcribis, ſed inſuper Henricum unicas uitæ meæ delicias, tuis phaleratis dictis & ſcriptis à me diſtrahis. Quid dixi à me? imò à

Musis. Inuides illi, credo, quod tu iam Mercurium & Ianum pro Apolline, nouemq; sororibus colere cœpisti. Quod nisi solatium meum quamprimùm remittes, uæ tibi carnifex. Iam apud me sunt limata spicula, tela instructa: inuectiua ist huc mittetur, omni aceto acrior. Tum tibi nihil reliquũ putato, nisi ut aliquam suspendio trabem eligas. Heus, tibi dico, an non sut hũc Henricum, non minus meum, quàm tuũ, quàm primùm absoluas, neu tuis nugis Mercurialibus diutius remoreris. Id nisi facis, bellum iam tibi nunc denũcio. Nihil est quod feciales, aut patrem patratum expectes, dixi. Cæterùm quanquam omnino dignus es illo mitti, ubi lapis lapidem terit: ubi nequã homines polentam pinsitant: ubi uiuos homines mortui incursitant boues, tamen saluũ te esse cupio, si resipiscas. Quod si perstiteris in tuo silẽtio, scin' quibus ego te uocabulis exornatum reddam? nebulonem appellabo, carnificem, furciferum, ganeonem, scelus, sacrilegum, monstrũ, sommium, stercus, sterquilinium, pestem, pernicium, dedecus, sycophantam, nepotem, custo-

custodem carcèris, imò carcerem ipsum, gymnasium flagri, delicias uirgarum, & si quid his contumeliosius excogitare potero: his inquam, appellationibus te denobilitabo. Cogeris rescribere, uel iratus. Hac pagella lusum est satis, alteram serijs debemus. Sed quæ seria tecùm homine tam ridiculo poterunt agi? Nulla opinor. Typographi tua opera uehementer expectant. Nam es tu quidem perdoctus, nec rideo tamen. Epistolæ tuæ iam excuduntur: Augustinus interpretationem parat. Faustus eandem ambit prouinciam, & Augustino palàm inuidet. Auditum est, te isthic iampridem excudere, uerùm liberos credo, non libros: quos quàm optimos tibi generes oportet, ut tui quàm simillimos fingas. Nihil enim te nequius. Quid tibi hoc dictum placet? satis ne salsum est, satin' habet aceris? At mel hoc dices, faxo, si cætera deprõpsero. Verùm ea seruo iusto bello: tu metime & caue. Iam seriarum rerum satis, rursum ad iocos redeamus. Vt te mi Christiane, quàm plurimum amem, fraterni mores me cogunt, non modò tui, quibus ego nihil

nihil adhuc in uita uidi uel integrius, uel candidius. Tuam præsentiam frustra optauimus. Sæpè aliquid molimur quo te donemus: sed nostra fata ex Henrico cognosces, cui in cæteris fideli, caue in meis laudibus credas. Mentietur enim de me suo more permulta, amoris magnitudine potius quã iudicio. Rodolpho Langio scripsi. Tu & me & meam Epistolam tua commendatione adiuuabis. Sed longior exit Epistola quàm uolebam. Facundum habeo tabellarium, ei cætera narranda relinquo. Tu nos ama, ualeq;. Parisijs Id. Februa. Anno M. CCCC.XCIII.

Erasmus Rot. Roberto piscatori agenti in Italia Anglo S. D..

SVbuerebar nonnihil ad te scribere Roberte charissime, non quòd metuerem, ne quid de tuo in nos amore tanta temporum locorumq; disiunctio detriuisset: sed quòd in ea sis regione, ubi uel parietes sint tum eruditiores, tum disertiores, quàm nostrates sunt homines: ut quod hîc pulchrè expo-

expolitum, elegans, uenuſtum habetur: iſthic nõ rude, nõ ſordidum, nõ inſulſum uideri nõ poſſit. Quare tua te expectat prorſus Anglia, non modò iureconſultiſſimũ, uerùm etiã Latinè Græceq; pariter loquacem. Me quoq; iampridem iſthic uideres, niſi comes Montioius iam ad iter accinctũ in Angliam ſuã abduxiſſet. Quò enim ego iuuenem tam humanum, tam benignum, tam amabilem non ſequar? Sequar (ita me Deus amet) uel ad inferos uſq;. Ampliſſime tu quidem mihi eum prædicaras, graphiceq; prorſus deſcripſeras: at uincit q̃tidie, mihi crede, tuam prædicationem, & meam de ſe exiſtimationem. Sed quid Anglia noſtra te delectat, inquis? Si quid mihi eſt apud te fidei, mi Roberte, hãc mihi fidẽ habeas uelim, nihil adhuc æquè placuiſſe. Cœlum tum amœniſſimum, tum ſaluberrimũ hîc offendi: tantũ autẽ humanitatis, atq; eruditionis non illius protritæ ac triuialis, ſed reconditæ, exactæ, antiquæ, Latinæ, Græcæq;, ut iam Italiã niſi uiſendi gratia haud multũ deſiderem. Coletum meum cum audio, Platonem ipſum mihi uideor audi-

audire. In Grocino quis illum absolutum disciplinarum orbem non miretur? Linacri iudicio quid acutius? quid altius? quid emunctius? Thomæ Mori ingenio qd uuquam finxit natura uel mollius, uel dulcius, uel feliciusIam quid ego reliquum catalogum recenseam? Mirum est dictu, quàm hîc passim, quàm densè ueterum literarum seges efflorescat: quò magis debes reditum maturare. Comes ita te amat, ita meminit, ut de nullo loquatur sæpius, de nullo libentius. Vale. Lõdini tumultuariè, Nonas Decemb. Anno M.CCCC.XCVIII.

Erasmus Rot. Gulielmo Montioio Comiti generoso S. D.

SI tu tuaq; generosissima coniunx, socer humanissimus, reliquaq; familia uales tis, est cur maximoperè gaudeamus. Nos hic quidẽ ualemus perbellè, & indies belliùs. Dici non potest, quàm mihi dulcescat Anglia tua: idq; partim consuetudîne, quæ omnia dura lenire solet: partim Coleti, Charnociq; Prioris humanitate, quorum

moribus nihil fingi poteſt ſuauius, mellitius, amabilius: cum his duobus amicis ego uel in extrema Scythia uiuere nõ recuſem. Id quod ſcripſit Horatius, & uulgus interdum uidere uerum, res ipſa me docuit, cuius hoc tritum noſti: quarum rerum duriſſimi ſoleant eſſe aditus, eas felicius euenire. Quid noſtro illo ingreſſu fuit, ut ita dicam, inauſpicatius? at nunc ſecundiora indies omnia. Euomui tædium omne quo me quondam nauſeantem uidebas. Quod reliquum eſt, te oro meum decus, ut quando tum cùm meus me animus deficeret, tuo ſuſtinuiſti: nunc cùm meus mihi non deeſt, tuus ne deſtituat. Quod ad diẽ præfinitum non ueneris, expoſtulare tecum nec libet, nec iure me poſſe puto. Quid te retardarit, equidem neſcio: hoc unum ſcio, quicquid fuit, legitimum quiddam & iuſtum fuiſſe, quare uenire nõ potueris: nam uoluiſſe, nihil dubito. Neque enim ullam uideo cauſam, cur iſtud fingere uolueris. Et ea eſt generoſiſſimæ mentis tuæ ingenua ſimplicitas, ut maxima etiam de cauſa mentiri, nec ſcias ſi uelis, nec uelis ſi ſcias.

Non

Non eſt meum te uel hortari, uel dehortari: imò dehortari potius. Quod tuæ te res hortantur, id ſequere. Nos ita te deſideramus, ut interim te tuis commodis inſeruire uelimus. Si breui uẽturus es, gaudemus: ſin qua res te retinet, modò incommodi nihil ſit, ut hactenus fecimus, æquo te animo expectabimus. Pecunias meas annulo tuo diligenter obſignatas, mitte. Priori iã ſum multis nominibus obæratus: miniſtrat ille quidẽ tũ benignè, tum promptè. Vere quando ille humaniſſimi hominis officio functus eſt, par eſt nos inuicem gratos homínum munere fungi: & quàm ille libenter dedit, tã nos libenter reddere. Vtrara ſuppellectile, ita bonis amicis parcius utendũ eſſe cenſeo. Si quid iſthic nouatum eſt, facito me per literas certiorẽ. Bene uale. Oxoniæ. M. CCCC. XCVIII.

Eraſmo Roterodamo Gaſpar Scalbus S. D.

PEr tot ſyluas latrocinio, per tot urbes peſtilentiæ morbo iam infames, ad te graſſa-

grassati sumus Erasme, Ionas & ego: & peruenimus dñ boni quàm in tempore, q̃ fœliciter. Eius quantumuis longi & molesti itineris, tantum abest, ut nos pœnituerit, ut in itinere adhuc incerti, ubi unicum margaritum Christiani orbis delitesceres, sancte coniurauerimus, te extrema India & ultima Thyle nos quæsituros, nedum in Brabantia, aut Gallia. Desine tui contemptu laborare, ut contra omnes illi Aristotelici Theologi supercilios̃a φιλαυτία. Si tu te ex ea parte nescis, quàm sis magnum huius seculi ab ipso Christo nobis datum munus: ego te isto studiorum meorum silentio domi, mecum ex operibus tuis didici: at nunc ex uiuis uultibus, ex sermone tam sine affectione saccareo, tam melliro (quod miraberis Erasme) tantundem penè fructus, quantum alius quis ex aliquo librorũ tuorum possit, hausi. Non tibi ingererem has meas ineptias, nisi non minus ardenter, q̃ comes meus Ionas epistolam tuam habere optarem. Dispeream enim, si à te etiam si baculo mineris abigere, auelli possimus, nisi habeamus quod te nobis in itinere iã,

& maxime tunc cum in istam nimis longinquam regionem nostram redierimus, præsentem referat. Quid multis uerbis hic explicem, quanti hanc profectionem nostram faciam? Vt me deus amet, nollem eam mihi decem Pactolis, aut solidis auri montibus commutatam. Vale magne Erasme: & dignare nobis (ut diu etiam expectandus sis) solum rescribere. Iterum uale. Bruxellæ, à nato Christo, Anno M. D. XIX. Quinto Calendas Iunias.

Erasmus Rot. Gaspari Schalbo suo S. D.

OBsecro te doctissime Schalbe, utrum isthuc est rogare, an cogere? uides mihi uix otium esse ad tuendam ualetudinem, uides tot studiorum laboribus obrutum, & tamen efflagitas epistolam? Adeo uiolenta res est, & impotens amor, præsertim Germanicus, cui si coner reluctari, nihil agam. Itaq; respondeo tuis literis, sed ita, ut uerear ne dicas tibi nihil esse responsum. Quod si breuitatem hanc apud te non excusat

excusat misericordia nostri, saltem excusabit publicorum studiorũ ratio, quorum iactura distrahor in hæc officia: quæ singulis, quibus præstantur, exigui momenti uidentur, mihi tamen in quem unum agminatim glomerantur, ingentem sarcinam addunt. Quando tu Ionæ non cedis in amando, par arbitror, ut te nõ minus quàm illum redamem. Deplorarem tam longinquam profectionem tuam, totq; periculis obnoxiam, nostra causa susceptam, ni tu tibi tantopere gratulareris etiam. Id si iudicio facis, non inuideo fructum: sin imaginatione, remedij pars est, non sentire malum. Illud autem quam Germanice? Negas te fustibus depelli posse, ni detur quod in patriam reuerso præsentem Erasmum referat. Os impudens, non tibi sat est, oculos, aures, et animum explesse nostri copia mellitissima, uti scribis, ni me totum tecum auferas? & auferas in tam procul dissitam regionem? Quantulum autem Erasmi tecum auferes, si huius corpusculi imaginem pictam aut expressam, ad tuos retuleris? Optimam Erasmi partem in libris uidere

licet, quoties libet: si quid tamen omnino nostri est, quod sit uisendum. Bene uale Gaspar charissime. Louanij. Tertio Calen. Iunias. Anno M.D.XIX.

Erasmus Rot. Petro Anglebermeo medico S. D.

EMoriar, si ullum deorum nectar suauius esse credam, optime Petre, quàm illum hoc tuum, plurimum quidem aromatis efficacibus, & Apollinea arte, qua tu non minus quàm humanitate mortaleis omneis albis, ut aiunt, equis præcurris, uerum multo multoq; amplius de pectore isto candidissimo & gratiarum pleno conditum sapidumq; : cuius ego niueam simplicitatem, humanitatemq; prope incredibilem iampridem ex Augustini tui sermone cognitam atque adamatam, nunc etiam re prius quàm oratione experior, donatus uidelicet abs te munusculo tam bello, tam lauto, tam deniq; apto. Recte enim & hoc Seneca monet, permagni referre, quis, cui, quid muneris mittas. Porrò cũ Bacchum ut eloquentiæ ministrum passim celebrem: poëta

poëtarum literæ, & aromata ſpiritus uitales uiresq; pectoris reficiant inſtaurentq;, quid obſecro poteras hoc mittere aptius homo medicus homini poëtico, tum in literis aſſiduo, quàm uinum quod uulgo quidam Hippocraticum, à doctis tum trimma, tum aromatites dicitur, niſi tu uel murinum, uel aromaticeum mauis: cui xenio utinam ἀντίδωρον aliquod rependere tam facile poſſimus, quàm impenſe cupimus, neq; uoluntatem fragrantiſſimā deſtitueret facultas. Verum ne prorſus ἄδωροι uideamur, ne ue quam duplicatam oportebat rediſſe gratiam, nulla reponatur poëtarum more, qui chartarum tantum ut diuites ſunt, ita ſunt & liberales, literariam gratiam referimus, pro munere epiſtolam reddentes, quanquam non perinde conditam, nec arte pari concinnatam, uidelicet ut ad Homerici Diomedis exemplum, χρύσεα χαλκείων ἑκατόμβοι ἐννεαβοίων permutemus. Eam compenſationem ſi tu non recipis, quippe uehementer iniquam, uide ecquid hoc etiam auctarium placeat. Hunc homuncionem quantulus quātulus eſt, tibi

addico: quem si non pœnitebit tuis in bonis scribere, uehementer erraris, si quicquã credas tuis in rebus unquã fuisse tam tuũ, quo ue sic pro tuo arbitratu uel uti possis uel abuti. Interea ansam hanc ad te scribendi, id quod diu fuerat in uotis, per te mihi oblatam esse gaudeo. Lutetiam reuersus, nam in crastinum paramus iter, filij tui studia, quibuscunque potero rationibus iubens adiuuero. Bene uale. Aureliæ. Anno M. D.

Erasmus Rot. Thomæ Moro suo S. D.

VIx ullis literis consequi queam quibus diris huius tabellarij caput deuouerim, cuius uel indulgentia, uel perfidia factum arbitror, ut expectatissimis Mori mei literis fuerim frustratus. Nam in officio cessasse te, suspicari nec debeo, nec libet. Tametsi superioribus literis uehementiuscule tecum expostulauimus. Neq; uereamur ne quid nostra libertas te commouerit, qui non ignores Lacedęmonium illum

ad

ad cutem usq; pugnandi morem. Illud extra iocum oramus, mellitissime Thoma, ut ægritudinem, quam ex nimio diuturno tui tuorumq; scriptorum desiderio cepimus, usura aliqua sarcias. Expectamus omnino non epistolam, sed ingentem literarum sarcinam, quæ uel Aegyptium ἀχθόφορον degrauet. Si qui sint isthic bonarum literarum cultores, tuum erit officium eos ut ad nos scribãt extimulare, quo uidelicet amicorum orbẽ omnibus numeris absoluamus. Non ausim illos lacessere prior. Nam tibi nihil referre putamus, quomodo scribamus homini facillimo: ad hæc mei, ut mihi persuasi, amantissimo. Vale iucundissime More. Oxoniæ An. M. CCCCC. XCIX. Natali Simonis & Iudæ.

Erasmus Pacæo suo S. D.

PLane confido, qui tui est ingenij candor, mi Pacæe, te perpetuum amicum futurũ: nec ob id desciscres ab amicitia, qd tanto sis fœlicior. Atque utinam sis multo etiam fœlicior. Si commentarij nostri iam

aduecti sunt, ut puto, fac diligenter recondas: aut, quod malim, apud Morum deponas, donec reposcam. Linacrum fac in amicitia retineas: & si fieri potest, etiam Grocinum. Non hæc scribo, quod uel metuam aliquid, uel quicquam ab illis expectem commodi, sed quod tales uiros perpetuo uelim amicos. Non egent illi meis præconijs: illud tamen ausim dicere, nec inter Anglos esse, qui de illis uel senserit magnificentius, uel prædicauerit honorificentius, quàm Erasmus. Et non libet meminisse, qd uterq; haud scio quorum instinctu, in nos molitus fuerit: id quod ipsa re comperi, nõ suspicione: quanquam olim iam idem olfeceram. Sed homines sumus: ego semper ero mei similis, & huic iniuriæ tot opponam illorum bene facta. Linacri feci honorificam mentionem in scholijs Hieronymianis. Nil magnum sit, si contemnã contemptus; si oderim, odio habitus. Illud literis est dignius, officijs certare, non odijs. Apud Eboracensem quoties inciderit commoditas, fac Pacæum agas. Cura ut recte ualeas, Basil. Pridie Nonas Sept.

Erasmus

Erasmus Rot. integerrimo Theologo Ioanni Oecolampadio S. D.

ITa quidem uulgo solet usu uenire, ut bona quæ præsentia neglectim habuimus, sublata graui desiderio torqueant. Sed mecum pulchre agitur, si molestiarũ quas ex me cepisti cum unà uiueremus Basileæ, memoriam aboleuit disiunctio. Sed iste nimirum candor est Christiani pectoris, ut amici uitia in bonam partem interpreteris & uirtutes exiguas pro eximijs ducas, ipse in te iudex iniquior. Quanquam me mea fata nunc huc uocant, nũc illuc, tamen Louanij sedem habere uideor, ubi mea est bibliotheca. Sed quocũq; locorum circumagimur, seu terra, seu mari, nunquam non circumferimus unice dilectum Oecolampadium. Et nos interim Christum sequimur, sed à longinquo, quemadmodum Petrus adhuc imbecillis. Et tamen est aliquid, illum uel eminus sequi. Profuit id Petro, spero & nobis profuturum, si modo Iesus optimus clementissimus suos oculos in me torquere dignetur. O te felicem, qui totus

& uacuus, in intimis penetralibus, uersaris cum spõso, nihil aliud quàm cœlestia meditans. Et tantum uocas sedem istam, ego paradisum arbitror, præsertim comite sociõq; studiorum omniũ Brentio, per quem ita solus es, ut solitudinis tædium non sentias olim homines pij partim offensi delitijs ac sceleribus uulgi, Christũ titulo profitentium, uita negantium, partim afflicti sæuis barbarorum incursionibus, captant inuios mõtium ac nemorũ secessus. Nunc magis etiam libeat effugere istos, qui sub prætextu Christi, Christi doctrinam moliuntur extinguere. Sed quid narras impie, matri tantillum munusculum inuidebas? Næ tu dignus es maximis, qui tam grato animo pensites quæ nihil sunt. Quod Hieronymi translationem confers cum Hebræorum uoluminibus, non dubito quin cum iudicio facias, precorq; ut Deus laborem istum tuum bene fortunet. Optarim iudicem quàm primum prodire, mihi quoque usui futurum. Ea res complures accendet ad euoluendum Hieronymum. Non satis diuino quid sibi uelit Tragœdia: tantũ admo-

admoneo, ne nimium uarijs studijs oneres ingenij uires, & imbecillitatem corpusculi tui. De Melanchthone & senio præclare, & spero magnifice, tantum ut eum iuuenē nobis Christus diu uelit esse superstitem. Is prorsus obscurabit Erasmum. Bene uale. Louanij. Anno M.D.XVIII.

Erasmus Andreæ Ammonio S.D.

BIs nos exhilaras, Andrea suauissi. dū Buino iucundissimo literas addis multo iucundiores, planeq; tuum ingenium, tuosq; mores respicientes, quibus mea quidem sententia, nec fuit unquam, nec erit quicquam mellitius. Quare duplici nomine tibi gratias agimus. De pecuniæ mentione quod succenses, equidem non ignorabam animum tuum, regia fortuna dignum, uerum existimabam te missurum utrem maiusculum, in menses aliquot duraturum: quanquam hic quoq; maior erat, quàm ut ab homine modesto gratis accipi possit. De Græco epistolio risimus affatim. Iniquissim⁹ sim, nisi Moro dem ueniā, tam

ferijs

ſerijs occupato negotijs. Demiror te ſic perpetuo nidum premere, nec uſquam euolare. Hanc Academiam ſi quando libeat reuiſere, multis gratiſſimus ueneris, mihi inprimis. Quod iubes me iſthuc redire, ſi perduret languor, nihil uideo quid mihi blandiatur Londini, præter duorum aut trium amicorum conſuetudinem. Verum his de rebus aliàs. Audio Iulium maximũ uita defunctum. Vale optime Ammoni. Frequenter ad nos ſcribas rogo: gratius mihi facere potes nihil. Cantabrigiæ è collegio Reginæ, XVI. Calen. Septemb. Anno M. D. XI.

GRAECORVM QVAE IN HIſce Eraſmi epiſtolis continentur, interpretatio Latina.

ἀπαιδεύτως πεπαιδευμένων *indocte doctorũ.*

ματαιολόγοις, *ineptis theologis.*

παλινῳδῆσαι, *recantare, hoc eſt, ijs quæ prius uel ſcripſeris uel dixeris, diuerſa ſcribere aut dicere.*

τῶν πτωχῶν, *mendicorum. Monachos notat.*

περὶ

περὶ τ᾽ αὐτοκράτορος, de principe: Sed certum quendam notat propter articulum τ᾽ adiectum.

τῶμ μωρῶμ βασιλέωμ ⁊ λαῶμ, ſtultorum regum & populorum.

ταῖμ ἀμφοῖμ, ambabus, ſubauditur manibus. Vide Prouerb. Ambabus manibus haurire.

τυραννευόντωμ μονοχῶμ τίνωμ ψευδωνύμωμ ⁊ ματαιολόγωμ, regnantibus monachis quibuſdam falſo nomine uocatis & ineptis theologis.

συγκρητίζειμ, omiſſa contentione coniungi.

οἱ μισόμουσοι, muſarum oſores.

ὁμοτραπέζῳ, conuictori.

φιλαυτίᾳ, ſuiipſorum amore.

ἀντίδωρομ, remunerationem.

ἄδωροι, nihil dantes.

χρύσεα χαλκείωμ ἑκατόμβοι ἐννεαβοίωμ aurea æneis, centum boues ualentia, nouem boues ualentibus.

ἀχθόφορομ, baiulum.

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-483975-p0102-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-483975-p0103-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-483975-p0107-8

Oecolampadius · part. 1 F. v. part 4 A vj
Brentius part. 3 F. v.
Melanchthon. part. 1 F vj.
Hesius. part. 2 b vij
Luther⁹ part 3 E vj F iij part 4. A vj C vj E ij
F. iij. iiij

154754
AB 154754

Laus Carol v imperatoris. e iiij

X 199761

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-483975-p0111-0

Plato.

Omnis sapientium [illegible] fio mortis est.

IX.

Politeia
75.

№ 8353 *

PARS SECVNDA

BREVIO-
RVM ALIQVOT D.
ERASMI ROTERODAMI

Epiſtolarum, quæ iam nunc collatione magni Operis Epiſtolarum ſunt emendatæ,

Cum interpretatione Græcarum uocum.

COLONIAE.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-483975-p0114-7

ERASMVS ROTE-

RODAMVS GVLIELMO

Neſeno ſuo S. D.

X amicorum literis intelligo, iſthic Auguſtinum Nebienſem epiſcopũ ſtrenuè uociferari in Eraſmum etiamſi nondũ adducor, ut credam. Quod ſi uerũ eſt, longe diſſimili negocio ſumus utriq; occupati: ego dum hîc illius cãdorem laudo, ille iſthic me traducit. Compertiſſimum habeo, barbaros undiq; inter ſe conſpiraſſe, nihil intentatum relinquere, quò bonas literas opprimant. Tu caue, ne quid ad nos ſcribas periculoſe: nam literæ frequenter intercipiuntur, præſertim quæ iſthinc ueniunt. Siquidem hæ tuæ poſtremæ redierunt à Zelandia. Et ex alijs audio, neſcio quid, mihi ſuccenſere Budæum: neq; tamen ullam uideo cauſam, cur ſuccenſeat. Non dubito quin iſthic (ut par eſt) fiat plurimi: at uix credi-

derim esse, qui de Budæo candidiùs sentiat, aut honorificentiùs loquatur, quàm Erasmus: etiamsi maior ille, quàm ut nostro egeat præconio. Prouocârat ad confligationem literariam, & mihi uisus est liberis iocis impendiò delectari: at proximis literis offensus, respondet epistola satis Francica, ne quid aliud dicam: imò non respondit, τί γὰρ ἐμοὶ πρὸς ἔπος. Proinde in hoc argumento diserti esse noluimus, etiam si mihi persuaderi nondum potest, illum irasci seriò. Sic illi uisum est nostræ lenitatis facere periculum, aut suo certè animo morem gerere: nam qui ob leues causas amicus esse desierit, is (mihi crede) nunquã ex animo fuit amicus. Bene uale Nesene charissime. Mechliniæ XII. Calend. April. An. M. D. XIX.

Erasmus Rotero. Ioanni Draconi suo. S D.

LAudum mearum encomium decantaturus, & styli ueniam postulas, & adulationis suspicionem deprecaris, Mihi uerò

uerò perplacuit dictionis fluxus & perspicuus & facilis, præsertim in iuuene: quæ res facit, ut mihi de te raram quandam eloquentiam pollicear. Porrò nihil esse causæ uideo, cur mihi quisquam uel inuideat, uel aduletur. Quod enim futurum sit adulationis præmium? quanquàm autem istiusmodi laudes, quas mihi quorundam uel studium, uel candor tribuit, non leui me onerant inuidia, tamen amorem, unde proficiscuntur, non possum omninò reijcere. Atque utinam aliqua ex parte uera essent, quæ tu commoda narras ex meis scriptis orbi Christiano contigisse. Nam quis ego sum, ut magnam aliquam utilitatem orbi præstare queam? etiamsi conatus sum meum quantulumcunq; talentum in domini mei lucrum impendere. Si successus defuit, uoluntas bona non defuit. Quidam nimis odiosè reclamant, alij rursum immodicè probant: illorum uirulentas obtrectationes non mereor, horum laudes non agnosco. Ego interim me meo metiens pede, neque cresco laudibus plausuq; fauentium, nec omninò deijcior peruersitate obtrectan-

rectantium, consolans interim me ipsam recti conscientia, ac uigiliarum mearum præmium à Christo expectans, si parum grati sunt homines. Quanquàm uideo me os conatus optimo cuique probari, ἀλλὰ πλείονες οἱ κακοί. Quod Erfordiensis Academiæ publico nomine mihi studium illius, ac fauorem & in præsentia testaris, & in posterum offers, uehementer fuit gratũ à tam inclyta schola probari: neque enim sic amarent: nisi probarent. Vtinam Eobanum tam non pœniteat suæ ad nos professionis, quàm ego gaudeo mihi contigisse uiri tam eruditi, tam facundi, tam probi, tãq; bene morati notitiam: etiamsi ipse hominem parum humaniter accepi, uidelicet id temporis occupatissimus, quanquam nũquam non sim occupatus. Bene uale Draco charissime. Louanij, Anno M. D. XIX.

Erasmus Roterod. Euricio Cordo
Ludi magistro S. D.

VTinam tam facilè liceat omnibus mutuis literis, ut amore mutuo respon

ſpondere, non committerem ut quoquam in officio uiderer inferior: nunc quando unus à tam multis laceſſor, cogor in altero cedere, præſertim cùm præter uiciſſitudines literarum, quæ mihi non minimam temporis adimunt portionem, & tot alioqui ſtudiorum laboribus degrauer: ne quid imputem interim, quod operæ refellendis obtrectatorum calumnijs datur. An aliquos (ut ſcribis) Chriſto lucrifecerim, neſcio: quãquàm a multis hoc nomine mihi aguntur gratiæ, certè conatus ſum, atq; utinam meipſum Chriſto lucrifeciſſem. Etiam atq; etiam noſtræ gratulor Germaniæ, quam uideo indies magis ac magis melioribus literis manſueſcere, ac ſylueſtre ingenium exuere. Quod Erfordiæ ludum literarium aperis, ut felix fauſtum'q; ſit precor. Academiam multis nominibus celebrem, reddes induſtria tua celebriorem: ſed quo alacrius uerſeris in iſto munere, fac memineris ſecundum principes & epiſcopos, neminem magnificentius poſſe mereri de Republica, quàm ludi literarij magiſtrum, ſi rudibus adhuc & in quem-

uis habitum ſequacibus animis mentem inſtillet Chriſto dignam, easq; literas, quæ ſemper optimo cuique placuerunt. Quod ſi me audies, plus operæ ſumes in propagandis optimis diſciplinis, quàm in refellendis harum hoſtibus. Ad claram lucem uel ſuapte ſponte euaneſcunt tenebrarum portenta. Eobanum æui noſtri Naſonem, ſed caſtum ac pium meis uerbis ſalutabis diligenter. Bene uale cordatiſſime Corde. Louanij, Anno M. D. XIX. XV. Calend. Maias.

Eraſmus Theologo cuidam. S. D.

PRæceptor eruditiſſime, uideo uirus hoc obtrectationis indies latius ſerpere, & lethalius reddi, tam manifeſta mendacia licentiſſimè de me prædicauit N. quidam Licentiatus, ut uocant, primùm Louanij, deinde Mechliniæ, mox Antuerpiæ, nec uideo remedium, niſi tua prudentia atq; autoritas finem imponat huic malo. De modo uiaq; conuenerat tecum, &

cum

cum Dorpio. Me mea conſcientia non re-
mordet, quòd ſcriptis meis uſquam offece-
rim Chriſtianæ pietati. Diſſidij cauſſa no-
lim eſſe: cauebo pro uirili, ne ſim occaſio.
Latomus inuitarat, ut rationem rationi op-
poneremus, id fecimus, ſumma lenitate: ut
ni moroſiſſimus ſit, offendi non debeat.
Sed præſtat omnia coràm, ſi dignaberis
horam perſcribere. Chriſtum mihi ira-
tum imprecor, ſi quid affecto, quod Chri-
ſto diſplicere ſciam. Nullum conuitium
non feram, etiam falſiſſimum, ſi modò ne
falſò traducar hæreticus, quod à nonnul-
lis fieri præſens docebo. Bene uale. Anno
M. D. XV.

Eraſmus Roterodamus Iacobo ſuo Hornenſi S. D.

SAnè quàm lubens amplector tuum in
nos animum, uel ob hoc ipſum, quòd
ultro nos ad amandum prouocas, etiam ſi
non parũ apud me ualeret, uel patria com-
munis, uel literarum ſimilium idem amor.
Nam quòd exiſtimas me tibi Dauentriæ

conſpectum, uel hoc argumento facilè deprehendes uana te ludi mentis imaginatione, quòd cùm ego Dauentria diſcederem, nondum fluuius, qui urbem præterfluit, ponte iunctus erat. Nec Dauentria diſcedens, adij Britanniam: nam ante decem & nouem annos demum uidi Britanniam. Dauentriam reliqui, quatuordecim natus annos, nunc ago annum quinquageſimum tertium. Quęſtionem abs te diſputatam nullus adhuc exhibuit. Bene uale mi Iacobe. Louanij Anno M. D. XIX. XV. Calend. Maias.

Reuerendiſs. Domino D. Guliel-mo Cardinali de Croy Archiepiſcopo Toletano, &c. Eraſ. Rot. S. D.

REuerendiſſ. Domine, idemq; princeps clariſſime, ſchedula tua Laconica quidem breuitate, ſed ſenſu arguto, mihi ſpecimen acris uegetiq; ingenij præbuit. nam hic, opinor, permittes Eraſmo, leonem ex unguiculo æſtimare. Felices literæ,

tæ, si tales habituræ sunt fautores, felicio-
res si non fauentes modò, uerùm etiam cul-
tores habebunt. Probè uerò diuinas, libel-
lum hunc reliquorum similem futurum:
prorsus illis simillimus est, hoc est, ineptis-
simus. Mihi uerò nec libuit in huiusmodi
nugis seriam operam ponere: & uisum est
conuenire, ut dignum haberet patella oper
culum. Si tua celsitudo dignabitur Erasmū
numero clientulorum suorum ascribere,
dabimus operam, ne prorsus ignauum aut
ingratum allegisse uideatur: quam Chri-
stus Opt. Max. instaurandæ ueræ pietati,
bonisq; literis euehendis diu tueatur inco-
lumem Louanij XII. Calend. Maias, Anno
M.D.XIX.

R. P. Ioanni Thurzoni Episcopo
Vratislauiensi Erasmus
Rot. S. D.

LIteras tuas ornatissime præsul, non
minus bonæ mentis, quàm doctrinæ,
quàm eloquentiæ, quàm humanitatis præ
se ferentes, planè dignas iudicabam, quæ
in

in tui nominis gloriam æderentur, ni meã gloriam immodicè prædicarent. Nec ita multum abfuit, quin me nitore ſuo à reſcribendo deterruerint: ſed malui famæ detrimentum accipere, quàm parum humanus uideri. Eſſem autem inhumaniſſimus, ſi à tanto præſule talibus literis prouocatus, prorſus obticuiſſem. Tantum autem abeſt, ut pudeat me uinci à minoribus, ut uehementer & gaudeam & glorier, ſeculum noſtrum priſcæ barbariei ueternum exuere, & in optimis literis feliciter refloreſcere. Neque hic ullam laudis partem mihi uindico, niſi ſi quos noſtræ lucubrationes expergefecerunt ad meliora ſtudia: ne me putes agnoſcere laudes, quas mihi candidè magis quàm uerè tribuis. Porrò nouum non eſt, apud Hungaros eſſe præclara ingenia, quando IANVS ille Pannonius tantum laudis meruit in carmine, ut Italia ultrò herbam illi porrigat. Iacobi Piſonis, cuius memoriam mihi refricas, tam iucunda eſt recordatio, quàm olim Romæ iucunda fuit conſuetudo: quid enim illo doctius, aut quid feſtiuius? Ego hunc præceptorem

ptorem magis gratulor ſereniſſ. regi ueſtro, quàm regnum ipſum. Fuerunt & hic qui me FERDINANDO principi præceptorem dare uellent. Et eſt adoleſcens prorſus indole diuina, docilitate incredibili, probitati uirtutiq; natus, adhæc amabili quadam morum grauitate: ſed erat, cur me nollem aulæ committere. Is tamen (ut ipſe mihi retulit) libellum de Principis inſtitutione ſemper habet in manibus. Velŋ carmen legens, quod proximè mihi redditum eſt. Lucani tubam audire uideor: dignus ille qui magnos reges decantet, non Eraſmum. Nunquam autor tibi fuero, ut quemadmodum ſcribis, octo dierum itinere, ad homuncionis huius ſpectaculum accurras: nam ſat ſcio, & te pœniteret itineris, & ego nonnullam exiſtimationis meæ iacturam apud te facerem. Si quid Eraſmi uiſendum, id in libellis noſtris conſpicatus es. Cæterùm nec ego ſum Liuius, nec tu Gaditanus quiſpiam barbarus. Quod autem inſuper munus adornas? An non hæc tua epiſtola, qua mihi pectus iſtud tuum dicas, ampliſſimum eſt

munus

munus? Mihi certè nullum tui pignus exhiberi potuit charius, maximè quod non grauata sit tua celsitudo tam prolixam epistolam propriis digitis describere. Bene uale. Louanij. An. M. D. XIX. XII. Calend. Maias.

Eximio Theologo Georgio Spalatino illustriss. Saxoniæ ducis à sacris, Eras. Rotero. S. D.

MIhi uero nihil hactenus abs te redditum est literarum, neque tuo, neque illustrissimi ducis nomine, eoq; nonnulla, ni delictum fuisset. Vides quanto locorum interuallo dirimamur, & non secùs atque in bello literis intercipiendis aduigilant hostes meliorum studiorum: quo magis cauendum, ne cuiuis committantur epistolæ. Gratissimum mihi fuit numisma optimi ducis imaginem mihi referens, uiuæ simillimam. Huius epistolam uidere desiderabat Reuerendiss. Episcop. ac Princeps Leodiensis: eam unà cum numismate ad illum misi; nec postea licuit homi-

mine

nem conuenire. Quicquid fauoris, quicquid benignitatis, quicquid præsidij illustriss. dux impendit euehendis optimis studijs, id in me peculiariter collatum arbitror. Nihil in Iona conspexi, quod non unicè me delectarit. Ita me Deus bene amet, uideo delectum organum ad Christi gloriam illustrandam inter crassissimas horum temporum tenebras. Schalbi collegæ dotes magis ex illius literis, quàm ex oratione licuit cognoscere. Ego posthàc Georgium Spalatinum non solùm inter præcipuos amicos, uerùm etiam inter patronos meos obseruandos scripturus sum, non perinde in chartis, atque ipso in pectore. Bene uale Georgi charissime. Louanij IIII. Calend. Iunias. Anno M. D. XIX.

Illustriss. Saxoniæ duci Friderico Erasmus Roterodamus S. D.

ILlustrissime princeps, pro studio, quo tuæ celsitudini Cæsarum uitas à me re-

cogni-

cognitas dedicaui, iam nunc abundè magnam gratiam relatam existimo, posteaquàm amantissimis literis sibi non ingratum fuisse testatur. Nam cùm id operis destinarem, nondum mihi perinde prædicatum erat, atque nunc est, quanta animi propensione faueres bonis literis, adhuc cum ueteris insciticæ patronis digladiantibus: sed ita, ut hostes nihil aliud assequantur reluctando, quàm quòd & nostram illustrent uictoriam, & suam denobilitent stultitiam. Quicquid autem fauoris, quicquid benignitatis, quicquid subsidij tua nobilitas instaurandis honestis studijs, & euehendis tuendisq; studiorum assertoribus impendit, id totum in me collatum esse duco. Neque uero te pœniteat istius animi, non erunt ingratæ literæ: quin magis trilingui facundia uindicem suum immortali gloriæ consecrabunt. Erit olim Fridericus adiutis studijs, quàm stemmatum luce nobilior. Ego posthàc non uerebor & alios ingenij mei fœtus tibi dicare, quando feliciter cessit hæc mihi audacia. Celsitudinem tuam patriæ, studijs, ac pietati

quàm

quàm diutissimè incolumem tueatur Christus Opt. Max. Louanij, III. Calend. Iuni. Anno M. D. XIX.

Erasmus Roterod. Clariss. comiti Gulielmo Montioio S. D.

QVid'nam sibi uult illa tuæ salutationis ἀναδίπλωσις, ô salue mi præceptor, salue mi præceptor? Vtrum doloris erat, quòd à charissima coniuge diuelleris, an gaudij, quòd ad æquè dilectas literas sis rediturus? Mihi quidem, quanquam hic omnia durissima uidentur, stat tamen sententia, omne tædium amore tui deuorare, omnem exorbere molestiam, ne cùm tu in amando constantissimum te præstiteris: ego uicissim in obsequendo parum constans fuisse uidear. Fac eum ad nos animum adferas, ne uel tu sine caussa consuetudinem uxoris neglexisse, uel ego frustra tantum tædiorum pertulisse credar. Bene uale, Oxoniæ, Anno M CCCC. XCIX.

Erasmus Roterodamus Petro
Viterio suo S. D.

BEne cecidit optime Viteri, quod mea
Bqualis qualis fuit expostulatio, tam a-
micam tamq; copiosam epistolam abs te
extrudit. Veterem illum tuum in nos ani-
mum non sine uoluptate agnosco, incolu-
mem esse te lætor. Tot molestis occupa-
tionibus distrahi te dolerem, ni tales es-
sent, ut huiusmodi uel immori cupiat ani-
mus uerè Christianus. Gratulor autem uir-
tuti tuæ, quæ tot laboribus sufficiat, quod
corpusculi uiribus deest, pectoris ardore
suppeditante. Proximas literas tuas scito
mihi non esse redditas. Si curaris ut sciam,
qua de re commendari uelis R. P. Stepha-
no episcopo Parisiẽsi, promptissimè quod
uoles, faciam. Eximium D. Balneum De-
canum Turonẽsem, meis uerbis resaluta-
bis diligenter. Vir malus sim, ni amem ho-
minem, literis ac uirtuti cum primis fauen
tem: ingratus etiam, ni redamem ultro pro
uocantem ad amicitiam. Bene uale Viteri
suauissime. An. M. D. XVII.

Reue-

Reuerendiss. Cardinali & Archiepiscopo Moguntinensi Alberto &c. Erasmus Roterod. S. D.

REuerendiss. domine, princepsq; clarissime, non dubito, quin libellus, quem celsitudini tuæ dicauimus, redditus sit eidem. Qui an tuo satisfaciat animo, nescio: meo certè non satisfacit: uerùm id temporis nihil aliud erat ad manum. Circunspicetur aliud, quod & tuæ magnitudini, & meo in te studio magis respondeat. Ricardus Pacæus, qui regis sui nomine legatus ad uos uenit, præter alias innumeras dotes, uir est insigni utriusque literaturæ peritia præditus, apud regiam maiestatem multis nominibus gratiosissimus, fide synceriſſima, moribus plusquam niueis, totus ad gratiam & amicitiam natus: quem si dignaberis propius nosse, scio gaudebis te à nobis admonitum fuisse. Apud Anglos triumphant bonæ literæ. Rex ipse cũ sua regina, Cardinales ambo, episcopi fermè omnes, toto pectore tuentur, fouent,

alūnt, ornantq̄.Rabulis omnibus per regem impoſitum eſt ſilentium: ſpero idem fore apud Germanos, ſi tuæ reuerendiſſimæ dignitatis,tuiq̄ ſimilium fauor aſpirarit: quod ut facias, etiam atq; etiam rogo: Nihil enim non moliuntur ſycophantæ quidam, præſertim hîc, ubi barbaries terris exceſſura,uidetur extrema poſuiſſe ueſtigia. Quanquàm & hi miteſcunt, incipiuntq̄ ſuam ſtultitiam agnoſcere. Hutteni ingenium indies magis ac magis exoſculantur omnes: cui tua celſitudo tam candidè fauens, multum laudis, imò gratiæ ſibi parit apud eruditos omnes: quam incolumem diu ſeruet immortalis Chriſtus Ieſus.Antuerpiæ. XIII. Calend. Iunias. An. M. D. XIX.

Illuſtri Iuueni D. Antonio de Bergis,Eraſmus Roterod.
S. D.

ORnatiſſime iuuenis,antehàc uno nomine duntaxat amabam te,quòd honeſtis ſtudijs ac moribus delectareris præ-

ter uulgatum mortem nobilium: nunc hoc quoque debeo nomine, quòd expertus sum mirum patris tui in me ſtudium. Eius totam ſpem in tua indole ſitam eſſe, ex illius ſermone perſpectum habeo: nec dubito, quin optimi patris expectationi ſis per omnia reſponſurus. Bonæ literæ paſſim efflorescunt: fruſtra reluctantur ueteris inſcientiæ patroni. Apud Anglos trium phant recta ſtudia, Regis, Cardinalium & Epiſcoporum auxilio. Rabulis qui tantum ad maledicendum linguam habent, impoſitum eſt ſilentium. Hic quoniam tales patronos non habemus, ſæuiunt adhuc, & libris quoque graſſantur, ſed quibus nihil aliud quàm ſuam traducunt ſtultitiam, ac mentis ſtoliditatem. Miteſcunt tamen & hi paulatim, uelut ex grauiſſima febri reſipiſcentes: obmuteſcent etiam, ſi principum aſpirarit fauor. In Ferdinando magna ſpes eſt: in te quoque non mediocris, Carolus abeſt. Ciuerius non mirum ſi à literis eſt alienior, quanquàm non aduerſatur. R. D. Cardinalis Adrianus bonis literis nunquam admodum fauit,

etiam si non est adeò deuotus hostis, quàm sunt quidam, qui se non putant incolumes fore, nisi oppressis bonis literis. Hunc Ricardum Pacæum, sereniſſimi regis Anglorum oratorem eíq; gratioſiſſimum, si propius complecteris, gaudebis hominis consuetudine. Est enim præter mores candidiſſimos, utriusque literaturæ peritiſſimus. Bene uale. M. Adriano Barlando multam ex me salutem dicito. Antuerpiæ. XIII. Calend. Iunias. Anno M. D. XIX.

Erasmus Roterodamus Iacobo Banisio suo S. D.

VIr omni decorum genere cumulatiſſime, audio te noua, eaq; eximia dignitate auctum, quo nomine tibi magnoperè gratulor: neque dubito quin fortuna sit aliquando benignius etiam tuis præclaris uirtutibus respondura. Nos hic plusquam Panicis tumultibus iactati sumus, adeo Theologi quidam nouas excitarunt

tarunt Tragœdias: neque quicquam tamen aperto Marte gestum est: omnia technis, cuniculis, ac strophis acta sunt. Malè habebat istos, negocium linguarum procedere: metuebant, ne si subsisteret Nouum testamentum, labasceret eorum autoritas: nihil itaque non tentatum, sed resipiscunt. Prodijt Nouum testamentum, uenditur, & quidem feliciſſimè. Ausus est quidam & libellum aduersus me scribere, sed magno suo malo, mea summa cum uoluptate. Triumpharent bonæ literæ, si principem haberemus domi, qualem habet Anglia. Rex ipse non indoctus, tum ingenio acerrimo, palàm tuetur bonas literas, rabulis omnibus silentium indixit, Reuerendiſſimus Cardinalis Eboracensis omnia studia in melius restituit, suaq; benignitate passim omnes inuitat ad amorem studiorum: nec aliud agit R. Cardinalis Campegius, uir omnium & optimus & doctiſſimus. Aula Regis plus habet hominum eruditione præstantium, quàm ulla Academia. Video Germanos quoque principes honorem habere literis, tuo tuiq; simi-

lium hortatu: nos nondum hoc discere possumus. Sereniss. princeps Ferdinandus adolescens, ita me Deus amet, ad omnem uirtutem natus, nos amat, nostrisq; libellis delectatur: ut & ab alijs accepi, & ipse mihi narrauit. Libellum de principe semper habet in manibus. Huic me præceptorem dare conati sunt, & ipse uidetur id ambire: sed cùm alia me deterrent ab aula, tum præcipuè ualetudo tam imbecillis, ut nisi temperetur meo arbitratu, mox periclitetur. Mortuus nec principi sim usui futurus, nunc utcunque prosum calamo. Exijt Paraphrasis in duas epistolas ad Corinthios, & in epistolam ad Galatas. Hac certè parte probor, & doctis & indoctis omnibus. Si inciderit commoditas, commendabis me illustrissimo Saxoniæ duci Friderico: ei scripsimus nuper, opinor epistolam esse redditam. Bene uale patrone singularis. Si continget congredi cum hoc oratore regis Anglorum, D. Ricardo Pacæo, si nondum tibi notus est, fac ut hominem cures nosse propius. Nihil eius ingenio candidius, utriusque literaturæ peritissimus est

pro

pro ſuis uirtutibus regi, Cardinalibus'que atque adeo Romano Pontifici gratiſſimus eſt. Rurſum uale. Bruxellæ. XII. Calend. Iun. Anno M. D. XIX.

Eraſmus Roterodamus Ricardo Epiſcopo Vuintonienſi S. D.

REuerende Præſul, ſi unquàm placuit tibi animi mei ſtudium in te, hoc tantum præmij repoſco, ne quid temerè credas ſycophantis de me, quibus nunc fatali quadam peſte feruent omnia. Eduardus Leus ſi demonſtrat argumentis ſe melius ſentire, quàm ego ſentiam, nunquàm offendet animum meum. Cæterùm quod hic, & apud ſuos, ſcriptis, dictis, per ſe, per ſuos, omnia implet inimicis rumoribus, nec ſuæ famæ rectè conſulit. Iampridem palàm præ ſe fert pluſquam hoſtilem animum nullo unquàm dicto aut facto lacеſſitus à me. Iuuenis eſt, ardet cupiditate famæ: ſed præſtabat hanc melioribus auguriis auſpicari, Noui prudentiam tuam quæ

non facilè pronunciet: præsertim in malam partem. Tempus omnia proferet in lucem. Veritas laborare potest, uinci non potest. Si tua autoritas consulet Leo, ut aut in totum desistat ab istis sycophantijs, quibus seipsum magis traducit quàm me, aut argumentis duntaxat mecum certet, illius famæ consuluerit. Nunc enim odio, ceu morbo animi lymphatus, fertur. Erasmus olim ambijt tuum fauorem, non successit: nunc nõ orat, ut sibi faueat, sed ut Leo tuo. Bene ualeat tua pietas, cui me totum consecro dedicoq;. Antuerpiæ, Octauo Caled. Iunias. M. D. XIX.

Erasmus Roterodamus R. P. Thomæ episcopo Dunelmensi S. D.

REuerende pater, quoniam Aristoteles scripsit, multorum amicitias silentio dirimi, nolui committere, ut idem nobis eueniret, præsertim in tanto amico. Mitto Paraphrasin in Epistolam ad Galatas, in qua locus est de petro Pauli uoce obiur-

obiurgato, qui mihi nondum satis à quoquam ueterum explicatus uidetur. Non sum ignarus, uarios rumores de me spargi. Sentiunt philobarbari, erigere se se recta studia, eoq; nullum non mouent lapidem, sed temporis progressu uincet ueritas. Hoc modo exoratum uelim tuã reuerentiam, ne quid temerè credat Erasmiomastigibus. Nunc fato quodam suo sæuiunt, at breui illos sui morbi pudebit, ubi resipuerint, quemadmodum euenit Aiaci. Bene uale pater amplissme & in Erasmum eum te præbere perge, qui semper fuisti. Antuerpiæ, Octauo Calend. Iunias. Anno M. D. XIX.

Erasmus Roterodamus Ioanni Rufero Nouientano suo S. D.

QVod Matthiam Schurerium mihi tam studioſè commendas, prorsus iuxta Prouerbium, actum agis. Est enim is homo mihi tum ob eximias ingenij dotes, tum ob officia in me non uulgaria, sic com-

commendatus,ut commendatior esse non possit. Nihil est quod in illius gratiam facturus non sim. Sed neqꝫ mihi semper suppetit, quod illius officinæ suppeditem, neque quoduis argumentum illi conuenit. Postremò cùm Typographi fermè sint inter sese κεραμῆς, uix fieri potest, ut sic obsequar uni, quin alterum offendam. Id quod usu uenit in rursus excudēda Copia. Nam annos aliquot mihi succensuerat Badius, priusquàm offensionis causſam possem olfacere. Quanquàm illius indignatio, ut est uir optimus, citra omnem amarulentiam, aut etiam simultatem constitit. Aufer uerò mihi ista uerba, ne eum ex albo tuorum expungas amicorum. Tum ego non inhumanissimus modò sim, uerùm etiam ingratissimus, si patiar Schurerium expungi amicorum catalogo. Simulatqꝫ dabitur opportunitas, declarabo, si nihil aliud, certè propensum in illum animum. Demiror, cur tamdiu prorogetur Rodolphi Agricolæ lucubrationum æditio. Quis quæso, genius iste malus, qui gloriam hanc nostræ inuidet Germaniæ? Verùm ut hactenus

ociosa

ociosa fuit epistola tua, quòd ex tua commendatione nihil accesserit meæ in Schurerium beneuolentiæ: ita per eam ipse mihi factus es multo commendatior. Nam egregias animi tui dotes, quas pridem è suauissimo colloquio tuo, è uultu, ex ipsis oculis utcunque conieceram, sic expressit, ut longè quàm antè magis cœperim amare indolem istam tuam, lepidissima festiuitate, ac rara modestia pellicibilem: eruditionem haud sanè uulgarem, cum utriusq; literaturæ peritia coniunctam: sed ita, ut hanc nullum, quod ferè solet, supercilium comitetur. Quare mihi posthac Ruserius non inter famulos, quod tuæ modestiæ satis erat, sed inter præcipuos amicos numerabitur. Bene uale. Basileæ, Anno M. D. XVII.

Erasmus Roterodamus Eobano Hesso, Poëtæ clariss. S. D.

A Deo placuit tuum ὁδοιπορικὸν, ut emendatis, quæ commiserant Tipographi,

graphi, curarim hic rursus formulis excudendum. Ionæ Schalbiq; conspectus mihi fuit multo gratissimus. Sed interim dum hos huc mittis, parum consulis meæ famæ, cuius nunquam non facio iacturam ex huiusmodi congressibus. At minitaris te plures etiam horum similes huc missurum. Quoniam hi contigerunt, per quos maximè licuit scribere, ideo scribo parcius. Per alios non satis tutò scribitur, per hos frustra, qui melius omnia coràm referent, quàm ego literis possim. Nollem epistolas meas æditas quas adiunxisti tuo carmini, breui æditurus eram, sed locupletatas. Carmen ad Comitem de Nassau percupio uidere. Fauet ille bonis literis, & harum gratia mihi quoq;. Sed nostri principes laudare norunt, numerare non norunt. Quod tamen mea caussa non dico, qui nihil ambio, sorte mea contentus. Bene uale amicorum synceriſſime. Iam nunc circunspice ac delige tibi argumentum aliquod fœcundum, in quo declares posteritati quantus sis. In hoc conferes paulatim, quicquid egregium quotidiana lectio tibi suppe-

ſuppeditabit. Sed hæc planè memorem admoneo. Rurſum uale, Louanij. III. Calend. Iun. An. M. D. XIX.

Henrico Guldefordo Equiti Aurato, præfecto rei equeſtris regis Angliæ Eraſ. Roter. S. D.

VIr clariſſime, multorum ſermone cognoſco, quàm amico ſis in nos animo, ſiue ſcintillas iſtius beneuolentiæ ex meis lucubrationibus concepiſti, ſiue ex Ioannis Coleti, cæterorumq; amicorum hauſiſti ſermone. Tu me diligis, quòd uerè talem eſſe credas, qualem illi prædicarunt. Ego te uiciſſim amo, quòd toto pectore uirtuti, quòd honeſtis ſtudijs faueas, quando horum gratia mihi quoque faues: non quod his præditus ſim, ſed quòd tibi perſuaſum ſit, his præditum eſſe me. Certò recta ſtudia præſertim ea quæ ad ueram faciunt pietatem, prouehere ſemper conatus ſum, ſed utinam perinde feliciter ac ſedulò. Mundus reſipiſcit uelut ex altiſſimo

simo somno expergiscens: & tamen pertinacibus animis adhuc repugnant quidam ueterem inscitiam suam manibus pedibusq́, ac mordicus etiam retinentes. Sed hos pudebit amentiæ suæ, si uiderint summos reges, ac regum proceres, amplecti, fouere, tueri meliores literas. O miras rerum humanarum uicissitudines: olim literarum ardor penes religionis professores erat: nunc illis magna ex parte, uentri, luxui, pecuniæq́ uacantibus, amor eruditionis ad principes prophanos, ac proceres aulicos demigrat. Nam quæ schola, quod monasterium usquam tam multos habet insigni probitate, doctrina'que præditos, quàm uestra habet aula? An non optimo iure nos nostri pudeat? Sacerdotum ac Theologorum conuiuia madent uinolentia, scurrilibus opplentur iocis, tumultu parum sobrio perstrepunt, uirulentis obtrectationibus scatent: & ad principum mensas modestè disputatur, de ijs quę ad eruditionem, ac pietatem faciunt. Nimirum ad optimi regis exemplum properant omnes, cuius ut ceteras illas dotes omittam,

quas

quas sic habet cum alijs regibus communes, ut plerisque præcurrat, nulla sit inferior: quid illo ad disputandum argutius, ad inueniendum felicius, ad iudicandum sapius, ad eloquendum uenustius? Olim ocij literarumq; dulcedine captus, ab aulis regum abhorrebam: at in talem aulam, uel cum tota supellectile, quæ ferè chartacea est, libêret immigrare, ni ualetudinis imbecilitas, & æras iam ingraueſcens dissuaderet. Vbi nunc sunt qui iactitant, principũ uigori officere literarum cognitionem? Quis Henrico Octauo bellicis rebus dexterior, uel in condendis legibus cordatior, uel in consilijs oculatior, uel in coërcenda scelerum licentia uigilantior, uel in deligendis magistratibus atque officijs diligentior, uel in conciliandis fœdere regibus efficacior? Equidem aureum quoddam seculum exoriri uideo, quo mihi fortassis non continget frui, quippe qui iam ad fabulæ meæ catastrophen accedam: gratulor tamen orbi, gratulor iuuenibus, in quorum animis ob officiorum memoriam utcunque superstes erit Erasmus. Sed

ut finiam ornatissime Ricarde, redamo te amantem, proq; officijs in me tuis non uulgaribus, hoc maiorem habeo gratiam quòd ea præstiteris, nullo unquam à me lacessitus officio. Generosæ dominæ matri tuæ, mihi uno atque altero colloquio cognitæ, precor omnia læta prosperaq;. Istũ animum tibi, te nobis seruet Opt. Max. Iesus. Hunc Erasmum pergat tua nobilitas inter suos clientulos ponere, studio certè nulli cessurum. Antuerpiæ. Idib. Maij. An. M. D. XIX.

Erasmus Roterod. ex animo tuus.

Clariss. Baroni Gulielmo Montioio Erasmus Roterod. S. D.

VNice Mecœnas antehac gratulatus sum Angliæ tuæ, quæ tot haberet uiros egregia probitate, pariq; que doctrina præditos: nunc propemodum inuidere incipio, quæ sic efflorescat omni genere studiorum, ut omnibus regionibus laudem præripiat, ac penè tenebras offundat.

Quan-

Quanquàm ista laus haud ita noua est uestræ insulæ, in qua constat iam olim eximios uiros extitisse. Declarant id uel Academiæ uestræ, quæ uetustate nobilitateq; cum uetustissimis ac celeberrimis certant. Deamo Ricardum episcopum Vuintoniensem, qui magnificentissimum collegium suo sumptu propriè dicauit bonis literis. Magis autem exosculor egregium, ac prorsus heroicum animum reuerendissimi Thomæ Cardinalis Eboracensis, cuius prudentia schola Oxoniensis, non solùm omni linguarum ac studiorum genere, uerùm & moribus qui deceant optima studia, condecorabitur. Nam Cantabrigensis Academia iampridem omnibus floret ornamentis, præside Ioanne episcopo Roffensi, qui nulla in parte non egregium agit præsulem. Cæterùm huius laudis precipua portio regio pectori, uelut horum consiliorum fonti debetur. Cum tot regnis, ac regibus altissima pax est, atque ut augurari libet æterna, pelluntur nocentes, uigent bonæ leges, euehuntur optimæ literæ. Rex ipse hisce rebus omnibus non

ſolùm autor eſt, ac dux, uerùm etiam exem plum, primus ipſe præſtans quod præſcribit. Nulli mortalium magis ex animo bene uolo, quàm tibi: & tamen parum abeſt, quin inuideam tuæ celſitudini, quæ tantis bonis fruatur ſine me quondam commodorum & incommodorum ſocio. Quodq; grauius eſt, interim dum tu tot nominibus felix es, mihi cum teterrimis quibuſdam non hominibus, ſed portentis conflictandum, in quo me herclè lubens experirer, quid poſſit eloquentia, ni me Chriſtianus pudor, ceu Pallas quæpiam Homerica, iã capulo manum admouentem, capillos uel licans, reuocaret. Bene uale. Antuerpiæ. Anno. M. D. XIX.

Eraſmus Roterod. Gaſpari Velio S. D.

PArum uidelicet erat tibi Veli doctiſſime, nos ſanè quàm eleganti, ſed tamen mendaciſſimo carmine celebraſſe, niſi inſuper & epiſtolam adderes Panegyrico ſimillimam. Nec hoc contentus, car-

men

men adiungis heroicum, tam ſublime, tam grandiloquum, ut ad hoc collata Lucani tuba, lyra uideri poſſit. Primi carminis euulgati, eſt cur me pudeat: non eſt cur te pœniteat. Neque ſinam Bartholinum hoc nomine per te uocari in ius. Nihil huius uiri iudicio non tribuo. Atque is tibi tantum tribuit apud me, quantum alij noſtratis huius orbis nemini. Non cenſuit ille committendum, ut carmen tam felix premeretur. Fauebam & ipſe fateor, æditioni: ſed obſtabat pudor, ac metus quidam, ne non tam ingenio tuo quàm laudibus meis delectatus uiderer. Haud quaquàm tamen ingratum fuit, extitiſſe qui ſcrupulum hũc diſcuteret. Epiſtola tua declarat te in utroque genere, pari penè felicitate exercitatum fuiſſe, quæ res pauciſſimis adhuc mortalium ſucceſſit. Porrò carmen heroicum legenti uenit in mentem Homeri βατραχομυομαχία, quæ tragicis uerbis rem maxime ridiculam proſequitur. Atque hoc impenſius ſum admiratus ingenium tuum, quo ſterilius eſt argumentum. Sed tamen ne ſic abs te decantatus, nihil omnino præ-

mij dicar retuliſſe, moneo mi Veli, ut poſt hac iſtam longè feliciſſimam ingenij tui uenam, in felicioribus materijs exerceas. Gratulor tibi talem patronum, & illi te uiciſſim gratulor, uel amicum, uel præceptorem: cius eruditiſſimis literis incondito epiſtolio reſpondi. Non me fugit, quàm id ſit inhumanum atque impudens. Sed quid facias? Tantis ſtudiorum obruor laboribus, & innumerabilium epiſtolis ſic undique prouocor, ut ſingulis reſpondere non queam, fortaſſis paria facturus, ſi cum paucis mihi res eſſet, etiamſi Herculem non pudu it duobus cedere. Bene uale Veli chariſſime. Louanij. An. M. D. XVIII.

Eraſmus Roterodamus Baniſio ſuo S.D.

VIr ornatiſſime, iure ſuccenſemus Zelandiæ, quòd te nobis afflictum remiſerit, ſed tamen gratias agimus, quòd uiuum reſtituerit, quando non paucos abſorbuit. Sic tui uelim principibus copiam facias, ut tuæ ſalutis habeas rationem. Quo

magis

magis eget tuis consilijs respub. hoc magis aduigilandum, ut illi diu possis esse usui. Tuum ad nos aduentum cupidissimè expecto. De negligendis blateronibus, suoq; morbo relinquendis, & prudenter & amicè consulis. Quid enim aliud, quàm traducunt stultitiam simul & inscitiam? Deum immortalem, quàm insulsis libellis, quàm uirulentis, quàm indoctis rẽ agunt? Non est periculum, ne tam ineptas nænias legat posteritas, cuius iudicium semper eruditis uiris spectandũ est. Quanquàm ne nunc quidem ulli probo doctoue placet istorum furiosus tumultus. Sed omnia coràm. Bene uale uir ornatissime. Louanij Anno M. D. XVIII.

Erasmus Roterodamus Gonello suo S. D.

MVltis modis hæc tempora nos affligunt mi Gonelle. Pestis hic passim scintillat, mox uti uidetur fæuitura. Bellum imminet, malorum omnium oceanus. Nos priuata etiam quædam incom-

moda diſcrutiant, præter quàm quod nuper exortus eſt mihi nouus genius malus, beſtiola quædam perpuſilla quidem, ſed quæ tantum habeat ueneni, ut præ hoc uipera, quin & ſpes ueneno carere uideatur. Rogo uti per Vuatſonum ad nos ſcribas. Et quid agat meus Peſagus ſignifices, imo quid ualeas ipſe, quid hoſpes tuus humaniſſimus, quid materfamilias omnis bonitatis exemplar. Fac diligenter ſalutes Greanum commiſſarium communem amicũ, uel ut uerius dicam patronum. Bene uale, Londini. Anno M.D.XV.

Eraſmus Roterod. Gulielmo Gonello ſuo S. D.

DE equo uoluptatem mihi nuncias mi Gonelle, & animum tuum hac quoque parte agnoſco. Cato, & alia quæ illi adiecimus, iampridẽ abſoluta ſunt, ſed unicum nobis duntaxat exemplar eſt ſcribarum inopia. Adiecimus & priſtinæ collectioni magnam uim ſimilium ex Plinio: ea puto tibi tuiſq; magno uſui futura, ſed dreſt

deest qui describat. Tanta est apud Britannos laboris fuga, tantus amor ocij, ut ne tum quidem excitentur, cum spes dolosi affulserit nummi. Huc si te contuleris, lubens & hæc & reliqua communicabo omnia. An id ex usu tuo sit, ipse expendito. Nam mihi certè tuus aduentus erit gratissimus. Tametsi pestis hic locis aliquot scintillat, ut Greani nostri uerbo utar, ac nuper aulam quoque regiam inuasit, audax, extinctis duobus aut tribus. Verùm si aduolas maturandum est, nam ipse ad quadraginta dies fugam adorno, nisi quid nouæ obtingat fortunæ, cuius ne somnium quidem ad huc ullum uideo. De rebus nouis scripsi Greano. Bene uale Gonelle charissime. Londini Quarto Calend. Maias. Et ipse penè oblitus eram, quod maxime cupiebas scire, quis nam sit genius ille malus, mihi nuper exortus. Est animalculum quoddam pusillum, sed quo non aliud alat nec pontus, nec tellus uenenatius, aut pestilentius. Nihil enim est nisi merum uirus, quod procul etiam afflat & amicis & inimicis. Hanc pestem Liguria nobis mi-

sit, huiusmodi uenenorum ferax magis quàm Hiberia. Quod si nomen quoque cupis cognoscere, longè dissidet à moribus Ioannis Baptistæ, cum quo homo nimium candidus ac simplex penè cõtraxeram domesticum contubernium, sed gustato uenemo resilij. Is dolens elapsum esse me, uirus suum procul afflat, ac linguæ uenenis me petit. Duo me cõsolantur: unum quòd ipse culpa uaco, alterum quòd illi nemo credit, homini sic omnibus inuiso, ut nec à fratribus aut liberis ametur, uxoris hostis. Rursum uale mi Gonelle.

Erasmus Gonello suo S. D.

NIhil est mi Gonelle, quòd te unius aut alterius interitus magnoperè territet, nisi passim uagari malum cœperit, præsertim cùm nunc in Anglia mutare locum nihil aliud sit, quàm mutare periculum, non effugere. Fuge turbæ colluuiem quantum potes: moderate uiue, sicuti facis, tuos item à turbæ commercio cohibe. Iam instar

instat hyems, quæ solet huiusmodi mederi malis. Intelligo te nimium grauiter discruciari, ac propemodum despondisse animum, quòd tibi crumena cum paucis nummis perierit. Primùm quid Musarum alumno cum pecunijs? deinde quid iuueni? denique quid est, quòd tantulæ pecuniolæ iactura Gonelli tangat animum? Ego cùm ante quindecim annos redire in Galliam pararem, uiginti libras in littore Douariensi perdidi, & nondum ingressus nauim naufragium feci. Vniuersas opes semel perdideram, & adeò non consternatus sum animo, ut alacrior etiam & ardentior ad libros redirem, moxq; intra pauciſſimos dies Prouerbiorum opus ædidi. Oblecta te Musis mi Gonelle, pecuniam istam aliqua tibi reddet fortuna uel cum fœnore. Interim sic existimato, Erasmi pecuniolas, quantulæcunque sint, tibi communes esse. Nostri desiderium non tibi molestius est, quàm tui mihi: sed non semper sæuiet fortuna. Ioannis mei discessus initio malè me habebat, nunc occalluit animus, ut malim non redire. Quorsum enim attinet beneficium

cium in eos conferre, qui non intelligunt? Nihil æquè perit atque id, quod confertur ingratis: at longè magis perit, quod præstatur non intelligentibus. ingratus dissimulat, non intelligens ne sentit quidem. Si quid nouabis, quæso facias me certiorem. Cùm dabitur colloqui, communicabo tibi, quòd spero non ingratum fore, nec inutile studijs tuis. Bene uale. Salutem ex me dices humanissimæ matrifamiliâs, ac cæteris omnibus. Demiror Lupsetum nihil scribere: audire gestio, quid agat, quid ualeat. Rursum uale.

Erasmus Roterod. Dorpio suo. S. D.

IN alio studiorum genere fateor uerum esse quod scribis: non lædit, imò sæpenumerò iuuat, qui dissentit. Hic qui dissentit, non hoc agit ut ipse uideatur eruditior, sed ne aduersarius sit Christianus. Quòd etiam si non agat ille, tamen interim apud imperitam plebeculam traducitur is, cum quo certatur: & ansa datur per-

peruersissimo isti hominum generi, qui malo alieno uel pascuntur, uel crescunt. Nec unquàm suspectum habui tuum animum, sed fortassis melius noueram ingenia mortalium,& causſæ circunstantias altius atque tu perpendebam. Quòd si qui cruciantur inter nos conuenire, demus operam mi Dorpi, quo magis ac magis doleant, indigni quibus unquàm benè sit, qui malis gaudeant alienis. Rumores nihil est quòd metuas:nemo mortalium est, qui minus his commoueatur quàm ego. Qui bene uolunt Erasmo, facilè amabunt & Dorpium, si senserint te mihi ex animo amicum. Heri binas à Moro literas accepi:intra biduum ibit, qui meas referet, in quibus asscribam quæ cupis, imò iam quædam de concordia nostra scripseram nondum abs te monitus. Multorum literis magnificisq; promissis inuitor in Galliam,id'que regis nomine:sed non libet rursus me theatro committere. Animus secessum flagitat:ætas hæc seu potius ualetudo, cogit etiam quietem agere. Petrus Aegidius tuam salutem alacriter accepit, &

suam

ſuam amanter remittit. Si quid in Angliam uoles, mitte quamprimùm, curabitur à nobis, Ioannem Atenſem omnibus laudatiſſimum, & tamen nunquam ſatis laudatum, meo nomine etiam atq; etiam ſalutabis. Bene uale. Antuerpiæ. nono Calen. Martias.

Eraſmus Roterodamus Rimacho ſuo S. D.

TAndem effugi ex ergaſtulo Baſilienſi, in quo ſex annorum operas, octo mẽſibus præſtiti. Mirum mi Rimache quantis ſtudijs, quibus conditionibus me ſollicitarit ſuperior illa Germania, quæ regio mihi ſic modis omnibus arriſit, ut nulla ſub ſole magis. Hanc epiſtolam Antuerpiæ reliqui, Bruxellã ueſtri cõueniẽdi gratia aditurus, idq; hoc conſilio, quòd ſi forte fortuna euenerit, ut non ſit congrediendi copia, hæc meis uerbis ſalutem diceret amicis, quibus me redditum uehementer gaudeo. Bene uale, & Aloyſium (ſi adeſt) meo nomine ſaluta diligẽter. Antuerpiæ Calend. Iunias. An. M. D. XVII.

Ioan-

Ioanni Syluagio Regis Catholici Cancellario summo, Erasmus Rot. S. P. D.

TAndem explicui me è laboribus Basilienſibus uir clariſſime, fortaſſis ſerius & meis uotis, & amicorum expectatione, ſed tamen pro operis modo penè præproperè, quippe qui libello de Principe inſtituendo, nondum abſoluto diſceſſerim, cùm magnoperè cuperem id muneris offerre Principi: deerat nonnihil adhuc & in Hyeronimo. Quod ſupereſt ex tuo potiſſimum conſilio faciam, quod erit faciendum. Has literas hoc conſilio reliqui Antuerpiæ, ut ſi fortè fortuna non contigiſſet mihi Bruxellæ, aut Mechliniæ tui conueniendi copia, hac ſaltem ratione tuam celſitudinem ſalutarem. Nam ipſe Montioium adeo, illinc quempiam in Angliam tranſmiſſurus, qui uolumina Hyeronimi, quorum æditionem inſcripſi Cantuarienſi, illi reddat, ſimulq; cæteros amicos meo nomine conueniat, ac cenſum anni ſuperioris colligat. His rebus confectis,

mox

mox ad uos me recipio. Interea ualeat incolumis tua celsitudo uir incomparabilis, & patrone summe. Antuerpiæ, Calend. Iunijs. Anno M. D. XV.

Reuerendiss. Cardinali Eboracensi Eras. Rot. S. D.

REuerendissime pater salutem plurimam. Tametsi non ignorabam antea celsitudinis tuæ in me fauorem, tamen id plenius hodie cognoui ex oratione clarissimi Montioñ. Eram coràm acturus gratias reuerendissimæ T. D. sed hic uẽtus & libri iampridem relicti, me iamdudum reuocant. Et sciebam quantis negociorum undis in præsentia iactetur exerceaturq; tua sublimitas. Quod supereſt huius negociñ, literis transigetur. Vbi uobis decretum erit, quantum meo ocio satis esse putetis, meum fuerit dare operã, ut ita dimittar à principe meo, sicuti par est ab optimo ac bene merito discedere. Cæterùm quicunq; erit euentus, pro regia in me indulgẽtia, proq; celsitudinis tuæ propensissimo studio sem

per

per debiturus sum, quam utranq; incolumem in multam ætatem tueatur Omnipotens. Londini. M.D.XV.

Erasmus Roterod. Moro suo S. D.

LVpsetus existimat se nostra renatum opera, planeq; ab inferis emersisse. Magistri moliuntur omnia, quo retrahant adolescentem in suum pistrinum. Nam sta tim eodem die sophisticis libris distractis Græcos emerat. Vide, ut cùm inciderit opportunitas, grauiter agas parteis tuas. Nihil huius ingenio gratius, nihil amantius. Bene uale. Verto librum Plutarchi de discernendo adulatorem ab amico, longiusculum: sed quo non alius mihi magis placet. Absoluam fauentibus superis intra dies octo. Videtur mihi hoc propemodum magis ad rem pertinere, quàm digladiari cum Vigilantio, duce Hyeronimo. Rursum uale. Si uideris Lazarum nostrũ, hominem planè Musis & Gratijs natum, quæso salutes diligenter: hortare, ut perscri

bat mea, quæ habet in manibus. Nã habeo quædam plusquam noua, quæ non dubitem illi futura gratissima. Millies uale. Cantabrigiæ, An. M. D. X.

Erasmus Roterod. Thomæ Moro suo S. D.

NVper fasciculum epistolarum ad te misi una cum exemplo Vtopiæ, per quendam tibi uehementer, ut aiebat, amicum: oneraſſem pluribus, sed uerebar. Nunc alium nactus mitto Reuchlinica omnia in uno libello, quem ita communicabis Roffensi, ut quàm primùm legat, ac remittat. Nam quædam sunt quæ nusquam reperias. Tu lege propositiones planè Theologicas, abyssales sapientias, & articulos Arnoldi Tungrensis. Mitto unam epistolam ad Marlianum, quòd is suspicatus esset priorem librum Vtopiæ à me profectũ, id nolebam serpere. Dialogus ille Iulij & Petri, ut intelligo, iam τῷ παγκεφαλαίῳ μεγάλῳ in manibus est, & unicè placet. Moriam in dies expectamus. Vtopiam tuam recognitam

tam huc quàm primùm mittito, & nos exemplar, aut Basileam mittemus, aut si mauis, Lutetiam. Si quid habet Ammonius, cura, ut quàm primùm ad nos ueniat. Nam princeps abitum adornat, & nos quò aut quando profecturi, incertũ habemus. Exigitur à populo ingens pecunia, eaq; præsens. Postulatio recepta est ab optimatibus ac prælatis, hoc est, his qui soli nihil daturi sunt. Nunc ciuitates consultant, ὁ αὐτοκράτωρ aliâs ἄνοπλος nũc adest manu magnificè armata, & agri passim explentur militum gregibus, & undè aut cuius nomine ueniant, incertum. O miserã hanc regionem, à tot uulturibus arrosam, ô felicissimam, si ciuitatum inter ipsas esset concordia. Significa num eodem animo sit in me Cantuariensis & Coletus, atque item Roffensis, de quo tibi nuper scripsi. Pater eius qui has reddit, nos lautissimo prandio accepit, uir diues ac probus, multa testatus de tuo erga se officio. Adiuua me, quæso tuo consilio. Budaicam postremam ad te mitto. Precor Maruffo quo dignus est cum sua syngrapha. Nam Saulos istos nusquam licet com

prehendere, ni Brugas proficiſcar. Bene ua le More ſuauiſſime. Antuerpiæ, Calend. Martijs. Adeſt iſthic Franciſcus, ſi nõdum Hyeronimus expletus eſt Cantuarienſi, ab hoc exigat: debet enim. Remitte exemplaria epiſtolarum quas nunc mitto, & quæ reddidit Lupſetus, ſed per hominem certum. Rurſum uale cum tuis. M. D. XVI.

Eraſmus Roterod. Moro ſuo S. D.

Misi duas literarum ſarcinas, alteram per negociatorem quendam, alteram per filium Ioannis Crulli, cui tu operam tuam nauaueras. Ei commendaui codicem, in quo erant Reuchlinica, quæ miſe rè deſiderabat Roffenſis. Per priorem miſi libellum Reuchlini, uerſum meo ſumptu. Mitte Vtopiam ubi primùm licebit. Eſt Antuerpiæ ſenator, cui uſqueadeò placet, ut eam memoriter teneat. Epiſtola Dorpij, cui tu reſpondiſti, ſic à tuis deſcripta eſt, ut ne Sibylla quidem poſſit legere, uellem mitteres minus malè ſcriptam. Quæſo te ut ſcribas de omnibus diligenter, cùm primùm

primùm licebit. Nam hic magna rerum mutatio uidetur instare, nisi me animus fallit. Bene uale cũ tuis omnibus. Qui has perfert probus est iuuenis, ei promisit nescio quid Sixtinus. Is ea fiducia petit Angli am; ignarus ex simplici promisso nõ nasci actionem. Sed tamen extimula hominem ut magis ei faueat. Si Pollio crebrò fuit apud te, facile coniectabis quid ego passus sim Bruxellę, cui quotidiè cum tot salutatoribus Hispanis fuerit res, præter Italos, & Germanos. Rursum uale. Antuerpiæ postridiè Non. Mar. Ann. M. D. XVII.

Erasmus Roterod. Petro Aegidio suo S. D.

OPtimi patris mortem ut doleo, ita felicem existimo qui sic decesserit: quando hac sorte nascimur omnes, nihilq; diuturnum in rebus humanis, nedum perpetuum. Quod conualueris gaudeo, atque uti perpetuum sit, opto. Quanquàm Iacobum onerarim multis mandatis, tamen unum quiddam oblitus sum, quod maxime

curatum oportuit. Scribit ad me Archiepiſcopus Cantuarienſis, ut hîc ab amico quopiam uiginti libras Sterlingeñ. accipiam, & ſyngrapham mittam, ſe protinus reſoluturum. Quando igitur ut audio non licet exire, accerſe ad me Ioannem Crullum, aut ſi quis eſt magis idoneus, qui tibi numeret pecuniam, ac ſyngrapham meam recipiat, aut mihi negocium committat, curabo ut in Anglia pecunia numeretur ei, cui uoluerit is qui dedit. Quòd ſi Archiepiſcopus non dederit, quod tamen ſecùs fore ſcio, ipſe reddā. Tu, ſi poſtulat, fide iubeto, q̃d erit tibi bonum, atq; commodum, quando pecunia manebit apud te. Mea refert ut hoc quàm primùm fiat. Scis quamobrem? Quò mox ad proximum Paſcha liceat honeſtiùs iterum petere. Quamobrem hoc agas uelim, quod meo bono, nullius incommodo fiet. Morus adhuc eſt Caleti magno, ut apparet, ſuo tum tædio, tum ſumptu, & in negocijs longè odioſiſſimis. Sic reges beant amicos. Hoc eſt à Cardinalibus adamari. Sic & Paceum iam ſupra bienniũ apud Heluetios relegatum detinẽt. Epiſto-

Iam illius fac habeamus. Vtinam tuo fiat commodo, ut hîc nobiscum hybernes. Affatim conferemus fabulas nostras. Paraphrasis iam ad calcem decurrit. Triginta sex Philippeos, & ut opinor, præter ea nõnihil reliqui apud Nicolaum, ut solueret pro stragulis, & ita reliqui, ut soluta pecunia reliquũ tibi restitueret. Et memini me scripsisse super hac re: tu tamen nihil respondes. Fac ut sciam. Ne remittas N. suos libros, priusquam uiderimus: agit Cantabrigiæ, illic Græcas professurus literas. Dissimula illius literas tibi redditas. Medicus petijt inducias quatuordecim dierum. Tu si forte uideris hominem, singe pudefactum apud me, ni resoluat, quod promisit. Idem dicat M. Nicolaus, qui audierit eum sic deierantem. Optassem sigillum temperius missum fuisse: Sed tibi nihil imputo, non ignarus quomodo tua ipsius agas negocia. Inclusi tuis literis syngraphas meas, & epistolam Cantuariensis. Si aut abest, aut friget Crullus, confido Franciscum non grauaturum. Bene uale amicorum syncerissime. Louanij. XVII. Calendas De-

cembres. Anno M. D. XVIII.

Erasmus Gonello suo S. D.

SEmper equus meus ad me redit & habitior & alacrior mi Gonelle, satis præ se ferens nutricij sui tum diligentiam, tum felicitatem. Quare te maiorem in modum rogo, uti pergas, quemadmodum cœpisti curare baiulum nostrum. Quid ni nostrũ appellem, cùm amicorum communia sint omnia? Dabo operam ne officium tuum in hominem parum memorem, parumq; gratum collocasse uidearis. Bene uale Gonelle charissime Cantabrig. Sexto Calend. Octob. Ann. M. D. XII.

Erasmus Roter. Petro Aegidio S. D.

VTinam essem sanior animę tuę pars, quemadmodum tu uocas. Nunc ipse parum ualens ægroto morbo alieno, & tamen ob negocium Noui testamenti non uacat ægrotare. Non uideo spem nisi primùm imperes tibiipsi: deindè suscipias iter aut huc aut Gandauum. Illic est Clauus medicus maledicus, ei te cõmendabo si uelis,

lis, ut te uel conuiciis adigat ad curandum salutem. Abstine à pharmacis deñciẽtibus naturæ uires. Expatiare comite Nicolao, aut simili amico fido ac iucundo. Quicqd est litium, procul abiice. Prudentis est ante omnia uitæ consulere. Bene uale. Ita & ego minus incommodè ualuero. Louanij Tertio Nonas Mar. Ann. M. D. XVI.

Erasmus Roterod. Cornelio Bat to S. D.

CHarissime fili, tuam erga me pietatem lubens amplector, faciamq; pro uirili mea portione, ut intelligas defuncti Batti neque memoriam, neq; charitatem apud me intermortuam: tu modò cura, ut optimo doctissimoq; patri literis ac moribus respondeas. Ego nunc Basileam adeo, sic enim res postulat. Si isthic es tolerabili conditione, perdura usque ad reditum meum. Redibo enim uolente Christo, mense Octobri. Sin minus, conueni Louanij Ioannem Hontiscotanum Liliensis pædagogij moderatorẽ, & ex illius consilio pete Bru-

gas, conuẽturus D. Marcũ Laurinũ Coadiutorẽ, ut nunc loquũtur, Daceni S. Donatiani, cui de te scribã hodiè. Optimũ & humanissimũ patrẽ D. Gosuinũ meis uerbis salutа diligenter, optarim te literis Græcis operã dare, & euoluendis bonis autoribus. Accipies his literis inclusum nobilẽ Flandricũ aureũ, animi in te mei pro tẽpore qualecunq; pignus. Bene uale mi Corneli. Louanij. III. Calen. Maias. An. M. D. XVII.

Eras. Rot. Antonio Clauæ S. D.

NVper uidebaris optare Græcum Herodotum: eum ad te dono mitto. Nam facile mihi reperietur alius in hoc itinere. Bene uale. Cæsarem uix possum salutare, qui nuper nos tam superbè destituerit in cœna. Loua. Tertio Calend. Maias. Anno M. D. XVII.

Eras. Rot. Marco Laurino S. D.

SCripsit ad me Batti synceriſſimi, quondam amici mei filius Cornelius Bat-

tus

tus:iuuenis bene linguax, satisq; doctus, sed loripes: is tenetur huius regionis desiderio, nam Gruningæ agit hypodidascalum. Si forsan te adierit, expende num tibi possit usui esse: sin minùs, remitte illum Louanium. Nolim ut mea caussa quicquam agas aduersus animi tui sententiam. Bene uale. Scribam aliâs copiosiùs. Louanij III. Calend. Maias. M. D. XVII.

Erasmus Roterod. Petro Aegidio S. D.

VTinam istam animi impotentiam possis uincere, & tuæ ualetudini perniciosam, & ad res gerẽdas adeò inutilem, ut uehementer etiam officiat. Quid opus erat aperire stomachum aduersus medicũ? Sciebam illum nihil daturum, tantum lubebat comœdiam agere. Nunc si faciem perfricuerit, ne tantulum quidem spei fuerit, & incipiet palã esse hostis. Quòd si certa spes fuisset, malim ego centum fraudari cyathis, quàm te semel acerbius cõmoueri. Crede mihi nisi ab his duobus temperaris,

ris, animi perturbatione, & intempestiuo coitu, nõ lubet eloqui quid tibi timeam mi Petre charissime. Quare te maiorem in modum oro, omnia postponito tuæ saluti. De aduentu nostro ad Christi natalem medici gratia scripseram, non serio, ne uel tu frustra speres, uel uxor frustra metuat. Certũ est enim hinc non migrare, donec quod est in manibus absoluero. Paraphrasis quam exorsus sum in tabulis, iam absoluta, excudi formis cœpta est. Adest Borsalus huius collegij contubernalis, conuictor omnium festiuissimus. Vtinam tibi integrum esset totam hyemem nobiscum agere, & istis negocijs, quæ te frustra cruciant, iuberes μακρὰ κλαίειν, Placent Mori carmina. Appulit huc Hebræus quidam Matthæus, suæ linguæ egregiè peritus: spero fore, ut hic illi salarium decernatur ex Buslidij legato. Si me amas, omnibus posthabitis, da operam ut ualeas. Magna morbi tui pars ab animo pendet. Si commodum est accerse ad te Franciscum, & uide utrum uelit facere quod scribit Lanchnerus, an non: sed uerbis benignis, ut mihi si nolit, alia uia pro-

prospiciam: nō enim sinam ut impunè me luserint. Si Linacri Galenus aduectus est è Lutetia, rogo emas. Bene uale cum tuis omnibus amicorum suauissime.

Eras. Rot. Petro Aegidio S. D.

DE his quæ nobis attulit Iacobus, omnia recte habent: nec diffido quicquā de Nicolao, sed mirabar tibi pecuniam nō esse redditam. Doleo te angi mœrore: at ego non ob aliud repetebam mea, nisi ut tibi solicitudinem adimerem. De sigillo nihil incuso, tantùm extimula hominem per famulum tuum. Vtinam scissem Pacæum isthic adesse, nam id ex illius intelligo literis, protinus aduolassem. Epistola ad Dorpium me non ualde cepit: quanquàm eam nondum perlegi. Quæso, quod officium mihi offerunt Franciscus & Crullus, ut pro me scribant Archiepiscopo? aut quid diffidunt, cùm pecunia sit mansura in manibus tuis te fideiussore? Neq; tibi est ullum periculum, nisi ut eandem pecuniam reddas, si quid acciderit. O festiuos nugones, & bellos

los amicos futuros, si incideret necessitas. Olfecit Crullus Cantuariensem non esse Cancellarium, alioqui uel donaret opinor. Si grauantur, sine illos: sin facient, facient sine ullo suo periculo rem gratã, sed opus est festinatione. Medicum mi Petre negli-ge, & fabulã nobiscum age. Extremæ literæ magis ac magis scurram olent: uerùm hæc benè erunt. Tu tantùm cura, ut suauiter uiuas, teq; rebus melioribus serues: nos satis ualemus. Mitto Paraphrasim unam emendatam. Vxorculę benè precor, cęterisq; tuis omnibus. Louanij. An. M. D. XVII.

Erasmus Rot. Petro Aegidio S. D.

DEmiror quid illi furcifero meo uenerit in mentem, ut isthinc tam subitò discesserit: nam eodem die scripseram ex Mechlinia, quid fieri uellem. Obambularat animi caussa nebulo, isthinc Mechliniam, inde Bruxellam, inde Louanium, illinc demum in Diest, post mensem huc peruenit, perditis uestibus, & consumptis decem aureis, itaq; abieci porrentum. Cura ut hæc episto-

epistola reddatur Cancellario, quam tuæ adiunxi. Aedidimus aliquot epistolas, & inter has illam, qua Dorpio satisfacimus, et illius epistolam adiuncturi, si ministro cõmisisses uti iusseram. Libellum adferret bibliopola. Excusum est Enchiridium, additis alijs quibusdam. Nouum testamentum cœptum erat, sed rursus intermissum ob inopiam castigatoris: simulatq; uel paululũ dabitur ocij, tuum ædemus epithalamium. Sedebimus hic usq; ad mẽsem Nouembrẽ. Bene uale cum tuis omnibus amicorum optime. An. M, D. XVIII.

Erasmus Roterod. Petro Aegidio S. D.

TE filia auctum gaudeo, tum compatrẽ Tonstallum tibi gratulor: quo uiro nihil habet hæc ætas nec melius, nec humanius. Age ad istum tenorem uices gignendi fac serues, ut æqualis sit numerus filiorũ ac filiarum. Mihi iam non uideor uiuere, adempto Tonstallo: nec uideo tamen quò fugiam. Montioius abest longius. Louanium, tametsi cum theologis utcũq; reditum

est

eſt in gratiam, durius tamen nos acciperet in quadrageſima. Hic ſedere diutius omnino non eſt animus: ſi citra tuum incommodum non eſt animus: ſi citra tuum incommodum cedere potes cubiculum unum, quod habet latrinã, fortaſſis iſthuc immigrabo. paraturus quæ mittam Baſileam: quod ſupra ſolitam rationem impenderis, mihi uolo imputari: ita nec te magnoperè grauabo, nec tu me. Fac igitur ut ſciam quàm primùm, ſed caue ne quid moueas domi tuæ, donec abs te factus certior, te uiciſſim reddidero certiorem. De pecunia nihil adhuc audio, & tamen mea nonnihil refert, ne ea diutius ſit in manibus fœneratorũ. Vxorculæ tuæ ſuauiſſimæ fauſta omnia precor. Fabulę rerum noſtrarum prolixiores ſunt, quam ut literis committi poſſint. Nuper apud Cancellarium prandens honorificam tui feci mentionem: & accepit ſatis pronis auribus. Patri optimo, iam bis patri, multã ex me ſalutem dicito. Bene uale. Bruxellæ, Prid. Agnetis. Ann. M. D. XVIII.

Eraſmus Roterod. Petro Aegidio S. D.

Opto

OPto parenti tuo optimo, id quod est optimum. Iterũ atq; iterum te rogo chariſſime Petre, ut quod mutari non poteſt, feras certè moderatè, neu te conficias dolore tibi exitiabili, tuis graui & acerbo, mihi Moroq; acerbiſſimo. Serua te tibi, ſerua te tuis, ſerua te rebus proſperioribus. Siue pater eſt incolumis, ſiue ſecùs, ſcio te grauiter occupari, non luctu ſolũ, uerum etiam negocijs. Proinde ne quid ex meis etiam accedat, miſi Iacobum meum, ut q̊d habes rerum mearum, huc adducat, ſi quid tibi poteſt eſſe uſui, tolle & ſcribe, quid ſuſtuleris. Atq; utinam ſumma omnium quæ habeo, patris tuamq; ſalutem queam redimere. Veniſſem ipſe, ſed metuo pituitam, & ſum in reſtituendo Nouo teſtamẽto totus. A Moro binas accepi literas. Cura ut ualeas, & te fortem uirum prębeas. Si quid erit in quo tibi queam facere gratum, facito periculum, an ex animo te diligam. Louanij. prid. Mart.

Eraſmus Roter. Petro Aegidio S. D.

E Soles

SOles ultrò me tuis prouocare literis, at nunc nec lacessitus respondes. Scripseram de cõmentarijs, de quibus cum Badio pactus eram: habebam Franciscum nonnihil suspectũ, quòd parum integra fide rem tractasset, itaqꝫ cupiebam tuis literis certior fieri. Dici non potest quàm doleã nostros paulatim his inuolui bellis, tot iam bellis, uel ut ueriùs dicam, latrocinijs diuexatos. O theologos elingues, ô mutos episcopos, qui tales rerum humanarũ pestes taciti spectant. Scribito mi Petre, ac uale.

Erasmus Rot. Gonello suo S. D.

LOndini salutaui Mecœnates meos, Archiepiscopum & Montioium, ad hæc amicos aliquot destinarã munusculo adoriri, & in his regium Eleemosynarium, nunc episcopum Lincolnienſem: sed offensus Londino, nõdum enim illic uersari tutum est ob pestilentiã, in aliud tempus distuli. Rex laborabat cum illic essem, hoc est Richemondiæ, sabbato proximo, sed medicus aiebat eum euasisse periculum. Ad est Londini summi Pontificis nuncius. Episcopus

scopus Theatinus, utr, ut aiunt, undequaq; doctissimus de pace inter principes tractaturus, sed frustra. Is magis ni fallor, suum aget negocium, quàm nostrum. Proximo Maio rex traiiciet, unaq; sororem Mariam secum abducet, nupturam principi nostro. Equum remisi: mone sæpius, ut pater eum bene tractet. Est apud me, quod putem tibi gratum fore, sed mirum quanta hîc scriptorum inopia. Bene uale chariss. Gonelle: D. Greanum meis uerbis saluta. Anno M. D. XV.

Erasmus Roter. Petro Aegidio.

SAlue charissime Petre. Per omnia sacra te oro, ut sortem humanæ conditionis forti feras animo. De patre bene spero, sed tamen si quid accidit, caue ne duos simul amittã. Quid iuuat inanis, imò noxius dolor? Mone Nicolaum in primis, ut rem dissimulet, neq; cuiquã effutiat ad quem adeat in Angliã, aut cuius nomine accersitus: etsi non eat, tamen taceat: fingat caussam à uera alienissimam. Rem ex secretarij literis, & ex Iacobi mei sermone cognosces. Bene uale amicorum optime, & uirum te

præbe:imò memineris hominem esse te, et uitę huius fabulam age. Benè precor tuis omnibus,& in primis optimo patri. Scripsi Banisio Louanij I I I. nonas Nouemb. Mi amice,post istas procellas insignem aliq̃ se renitatem expecta, atq; illi te serua. Rursum uale. Si quid opus erit uel in tuo negocio, uel in negocio Nicolai, ipse aduolabo. Ann. M. D. XVI.

Erasmus Rot. Pacæo suo S. D.

PLanè confido, qui tui est ingenij candor mi Pacæe,te perpetuum amicum futurum:nec ob id desciſces ab amicitia, q̃ tanto sis felicior. Atq; utinam sis multo etiam felicior:si cõmentarij nostri iam adue-cti sunt,ut puto, fac diligenter recõdas,aut quòd malim, apud Morum deponas, donec repoſcam. Linacrum fac in amicitia retineas:& si fieri potest,etiam Grocinũ. Nõ hęc scribo, quòd uel metuam aliquid, uel quicq̃ ab illis expectem cõmodi, sed quòd tales uiros perpetuò uelim amicos. Non egent illi meis præconijs:illud tamen ausim dicere,nec inter Anglos esse qui de illis uel sense-

senserit magnificẽtius, uel prædicauerit honorificentius, q̃ Erasmus. Et non libet meminisse quid uterq;, haud scio quorum instinctu in nos molitus fuerit: id quod ipsa re cõperi, non suspicione: quãquã olim iam idem olfeceram. Sed homines sumus: ego semper ero mei similis, & huic iniuriæ tot opponam illorum benefacta. Linacri feci honorificam mẽtionem in scholijs Hyeronimianis. Nil magnum sit, si contemnam contemptus: si oderim, odio habitus. Illud literis est dignius, officijs certare, nõ odijs. Apud Eboracensem quoties inciderit cõmoditas, fac Pacæum agas. Cura ut rectè ualeas. Basileæ, Pridiè Nonas Septemb. Anno M. D. XIX.

Eras. Rot. Petro Aegidio S. D.

SI rectè uales, est quod plurimum gaudeam. Diutius commoratus sum in itinere, quã putarã: nam & Gandaui triduum remoratus est, Cancellarius principis illustrissimi: Tornaci Montioius meus, qui nunc ei præfectus est urbi, regias agens uices: apud diuum Audomarũ abbas Bertinicus. Traiectio sumptuosa fuit, & periculo-

ſa, ſed tamen uelox. Vas meum quod fratri Franciſci commiſeram, nondum aduectũ eſt: qua re mihi nihil potuit contingere infelicius. In ea ſunt omnia in Hieronymum commentaria: quæ niſi maturè recepero, ceſſabunt Baſileæ, qui excudunt non ſine magno ſuo malo. Id ſi caſu factum eſt, factum eſt infeliciſſimè: ſin arte & data opera, quò uetera ſua prouerbia prius extrudant, factũ eſt inimiciſſimè: nihil enim eſt, in quo me magis lædere potuiſſet. Exhibiturus eram epiſcopis ſuos libros: eos nunc ſaluto uacuus, & dimittor item ab illis uacuus: q; ſi uas miſiſſent, ſicut erant polliciti, iam nunc iſthic adeſſem. Adſunt Brugis duo totius Angliæ doctiſſimi, Cutbertus Tonſtallus, Archiepiſcopi Cantuarieñ. cãcellarius, & Thomas Morus, cui Moriam inſcripſi, uter'q; mihi amiciſſimus: ſi quid fortè inciderit, in quo poſſis illis gratum facere, rectiſſimè collocaris officium tuũ. Admone Franciſcũ ſuper hiſce rebus. Vti ſpero, ante Iulium uos reuiſam. Interim cura, ut rectè ualeas amice incomparabilis. Londini Nonis Maij. M.D.XIIII.

Eraſ-

Erasmus Ammonio suo S. D.

MAlo quodam genio meo non licuit tecum cũ isthic adessem proximè, congredi mi Andrea: nam cùm primũ ad uenirem, nihil minus suspicabar, quàm te etiamdum apud Morum agere, præsertim cum Iodocus bibliopola mihi cõfirmasset, te iam in collegio diui Thomæ uersari. Postridie manè pulsaui fores cubiculi tui, nec eras domi. Vbi rediissem à sacro, sensi strepitum equitum: iussi Linacrum prospicere: nam ego scribebam, nescio quid: ille nunciat te discedere. Sed posteaquàm iam abieras, multis modis cupiebam tecum colloqui, uerùm id aliàs licebit. Rogo facias me certiorem, quid de aduentu D. Montioĩ isthic feratur, præterea num pestis tanta, quantam prædicant: postremò si quid est de rebus Italicis Gallicisq; quod tutò literis committi possit. Bene uale. Cantabrigiæ III. Nonas Octob.

Erasmus Rot. Ammonio S. D.

NIhil erat noui quod scriberemus, nisi quòd mihi decretum est neminem,

qui modò certior contingat, nostris ad te literis inanem hinc dimittere. Scripserā ante dies pauculos, Cupio scire quid ualeas, nũ Montioius meus iam redierit: tum quid procedat res Italiæ: quid agat inuictissimus Iulius. Sub Brumam ad uos, superis uolentibus, remigrabo, si modò rigor hyemis pestem restrinxerit, quam audio isthic increbescere: nec ea quidem longius hinc abest. Hactenus prælegimus Chrysoloræ grammaticen sed paucis: fortassis frequentiori auditorio Theodori grammaticā auspicabimur: fortassis & theologicam lectionem suscipiemus, nam id nũc agitur. Quæstus minor est, quàm ut me moueat, tamen interim & benè meremur de studijs, pro nostra quoq; uirili, & mẽses aliquot, ut Oui diano utar uerbo, decipimus. Cura ut rectè ualeas mi Andrea, mortalium omnium mihi charissime. Fac ut frequenter ad nos scribas. Cantabrigiæ postridie Idus Octobr. An. M. D. XI.

Erasmus Andreæ Ammonio S. D.

REmisi tandem cœnophorũ tuum unà cũ uersiculis malè natis. Auriga confirmat

firmat se reddidisse Moro, quòd id tempo ris aberas. Ad Calend. Ianua. isthuc remigrabimus, ut uel foco mutuo minus algeamus: nam hîc æstiuare malim, quàm hybernare. Postremò non expedit diutius tã procul abesse à Ioue meo: quãquam hic locus non omninò mihi displicet. Tum quæstus uideo nonnihil si quis ardelionem possit agere. Perquàm cupio scire quo animo Vuintonieñ. & Dunelmensis meas acceperĩt literas, adhęc si quid aliud est noui. Gratum mihi feceris, si has literas, quas tuis adiunxi, in Italiam perferendas cures: nunc planè est illud Homericum, ἄμοτε δ' ὄμος Opinor auditas à Ioue preces istius, cuius libellum tibi tradidi, qui fontes fluuios, lacus, stagna, ad lachrymis deplorandã Italiæ calamitatem inuitat, ἡμᾶσ λύκη ἔιδε πρότερ, ut nutibus sit loquendum. Tanta est raucedo. Bene uale, ac frequẽter ad nos scribe. Cantabrig. IIII. Nonas Nouemb. M. D. XI.

Erasmus Roteroda. Ammonio suo S. D.

E s Pre-

PRecor ut istæ uenationes tam sint fau-
stæ uobis, quàm mihi fuerũt infaustæ:
iam primùm enim regem mihi adimunt:
deinde profecto Cardinale, dies aliquot
me sunt remoratæ. Ad hæc Vrseuuicum
misso Nouo testamento captaram: equum
promissum literis petieram. Hunc cùm die
lunæ uisurus peto, ille cõmodùm se uena-
tum proripuit, non rediturus ante septem
dies. Ad hũc modum is Thynnis elapsus
est. Demum nunc te mihi præripuit uena-
tio. Proindè quod coràm uolebam, literis
ago. Epistolam à puero scriptam ad Ponti
ficem, si uoles resigna: mihi uidetur parum
aptè scripta. Si iudicabis ad rem pertinere,
cura denuò describendam accuratius, ut &
hoc interim addas officij. Salutem meam
tibi commendo. Nec rogo diligentius, cui
toto pectore confido: nec polliceor magni
ficè, cui re si queam, gratias referre malim
quàm agere. Et mihi certè spes est, succes-
surum quod agimus, non solùm quod agitur
per hominem mihi charissimum, uerum-
etiam per Ammonium Erasmo felicissi-
mum. Bene uale. Poterant hæ duæ causæ

me dies aliquot in Anglia remorari, spes e-
qui ab Vrseuuico, quem haud dubiè datu-
rus erat: &tuum colloquium, ni iam me te-
deret Britanniæ, & sentirem me uetulum
iam hospitem uxori Moricæ suppetere.
Vtinam maturè felix oraculum per te rede
at. Rursum uale. M.D.XI.

Erasmus Rot. Ammonio suo S. D.

MAiorem in modum te rogo, si quid
isthic extiterit noui, cures uti quàm
primùm sciam. Nam cum Londino disce-
debam, audiebam oratorem ex itinere re-
uocatum regijs literis, quòd Pontifex de-
nunciasset, ante Nouembrem non futurum
generale concilium. Nouũ fabulæ genus,
lagena tua etiamnum stat Cantabrigię unà
cum uino, ut audio, sed iam uitiato: ô stipi-
tes. Sed quid erit magni, quod mea ualdè
putabis interesse, ne graueris aliquem cum
equo mittere, sed re prius communicata cũ
Coleto. Bene uale. Ioanni bene precor. Cã
tabrig. XIX. Februa. Anno M.D.XI.

Eras. Rot. Andreæ Ammonio S.D.

Mitto

MItto ad te literas ad Bombasium scri
ptas. De statu meo nihil adhuc no-
ui est quod scribam, nisi iter fuisse incom-
modissimum, & ualetudinem adhuc sub-
dubiam esse à sudore illo. Videor mihi sal-
tem ad dies aliquot in hoc collegio cõmo-
raturus. Auditoribus nondum copiã mei
feci: cupiens ualetudini inseruire. Ceruisia
huius loci mihi nullo modo placet, nec ad-
modum satisfaciunt uina: si possis efficere,
ut uter aliquis uini Græcanici quantum po
test optimi huc deportetur, planè bearis
Erasmum tuum, sed quod alienũ sit à dul-
cedine. De pecunia nihil sis solicitus, mitte
tur & ante tempus, si uoles. Iam hoc cõmo
dorum quæ ex bullis sanctissimis capiun-
tur, initium est, siti enecamur. Tu coniicito
cætera. Et nondum traiecimus. Bene uale
charissime Ammoni. Ex collegio reginæ,
postridie Bartholomæi. M. D. XI.

Erasmus Rot. Ammonio suo S. D.

IAm dederam ad te literas, quas nũc opi
nor esse redditas. Sed perquã gratũ mihi
fuit,

fuit, quòd in tuis ad Ioannem literis Erasmi tui feceris mentionem, & quidem tam amanter ὑγιεινὰ πράγματα, quæ quondam sacrorum sciniorum magistro nuncupaui, nuper Londini sunt excusa formulis non omninò inuenustè. Ioannes tuus pollicitus est se ad te missurum unũ aut alterum codicem. Si is cui dicaui libellum, in castris adest, & incidit opportunitas, quæso, ut hominem meis uerbis salutes, ac libellum exhibeas. Sic enim emendaui, ut uix eundẽ esse sit crediturus. Londini non minus sæuit pestis, quàm isthic Mars. Itaq; Cantabrigiæ nos tenemus, quotidie circũspectantes, ut cõmodè auolemus. Sed non datur opportunitas. Et retinent triginta nobiles, quos ad Michaëlis expecto. Sixtinus iam euolauit in Brabantiam. Ad Hyeronimum emendandum & scholijs illustrandum ita mihi feruet animus, ut afflatus à Deo quopiam mihi uidear. Iam penè totũ emendaui collatione multorum ac ueterũ exemplarium. Atq; id ago iucredibili meo sumptu. Risi affatim Castrensis uitæ formã tam graphice, in tuis ad Ioannem tuum literis

teris depictam: adeo hinnitus, clamores, equorum concursus, tubarum clangores, bombardarum tonitrua, fulmina, uomitus ægrotantium, gemitus morientium oculis subiecisti. O te felicem, si quod Deus optimus faxit, incolumis nobis redieris. Quàm iucundas in omnem uitam fabulas malorum istorum experientia ministrabit. Sed te per Musas & Gratias etiã atqꝫ etiam oro mi Ammoni, memineris id quod proximis admonui literis: uide ut tutò pugnes. Calamo quãtum uoles ferocias, & decem myriades hostium eodem confodias die. Rem nostris succedere, in tantum gaudeo, ut nec lingua, nec literis liceat explicare. Si quando uises diuum Audomarum, & incideris commoditas, salutabis Abbatem diui Bertini, singularem patronũ meum. Præterea œconomum illius Antonium Lutzenburgum Canonicum apud diui Audomari, tum medicum Abbatis & urbis D. Ghisbertum, duos candidissimos amicos meos. Adhæc Decanum eius ecclesiæ, singulari probitate uirum, & literarum amãtissimũ. Cum quo si continget colloqui, rogo per-

contare quid actum sit de Mauricio meo quondam ministro: cui profectò lubens si quid possim benefecero. Non ausim abs te tot uexato tum malis, tum uti conijcio, negocijs petere, ut aliquando scribas ad nos quoq;. Tamen si quando non grauaberis, erit id mihi tam gratum, quàm quod gratissimum. Vt Ioannis tui negocio faueas, & ut quàm felicissimè procedat, adiutes, sciebam necesse nõ esse, ut quisquam te roget, nedum ego. Noui quanti hominem facias. Ille te diligit unicè, & non consueuit Ammonius amore superari. Præcipuam negocij spem in te fixit. Baptistam meo nomine ut diligenter salutes, te etiam atq; etiam rogo, à quo iam non nisi Græcas expecto literas. Precor ut beneuolens Deus aliquis uentos mittat magis secundos, οὗτος γὰρ ἄνεμος οὔτε μένειν οὔτε πλεῖν ἐᾷ. Bene uale. Londini. Cal. Septemb. An. M. D. XI.

Erasmus Rot. Andreæ Ammonio S. D.

PRecibus extulit Rossensis, ut decem dies secum cõmorarer, at me sponsio-

nis

nis plus decies pœnituit, ut hic quoq; ἀλλὰ θέσατο sẽserim prouerbium ἔγγυα πάρα δ' ἄτη: interim è Latino Græcum reddã. Hãc μεταμόρφωσιν in me recepi. Captaram Vr- seuuicũ missо Nouo testamento, hac spe, ut ille mihi uicissim nouũ mitteret equum, quod uetus ille bibendo perisset, Flandrica nimirùm peste. At dum ille abest in uenatu, mea frustra fuit uenatio. Hac gratia puerum meum isthuc remisi, simulq; ut te conueniat: quo si aliud fors in mentem uenit, significes: nam hinc non discedimus ante huius finem hebdomadis. Scripsi ad te per Morum discedens, relicto exemplo epistolæ ad Leonem, sed parum aptè descripto: πρός τῶν μουσῶν, mi Ammoni, tu q̃d soles, amicũ præsta: ego memorem & gratũ prẽstabo animũ. Bene uale. Roffę XVI. Calend. Saptemb.

PLurimum, mihi crede, gratiæ accedet, mi Ammoni, isti beneficio ex celeritate conficiendi: nam & citius hanc solicitudinis nubem ex animo discutiemus: & si quid forte extiterit Tragediæ, tutores erimus. Rursum uale.

Erasmus

Erasmus Ammonio suo S. D.

PLanè uapulaturus erat Ioannes meus, ni Morus illi in tempore commodus patronus adfuisset. Nam is simulatq; resciuit nos hæsisse Roffæ, accurrit iterum uisurus Erasmum, quem uereri uidetur, ne breui non sit uisurus post hàc. Is igitur famulo in consilio fuit abducẽdi equi, posteaquàm tua sponte offerres. Video circumspectius tecum agendum: adeò capias omnem donandi ansam. Remissurus eram munus tuum, etiam Moro dissuadente, ni ueritus fuissem, ne suspicareris aut parum mihi placere, aut me Ammonio parum libenter debere, cùm nulli debeam libentius, ut nec amo quenquam effusius. Dispeream Ammoni, ni istum tuum animum tam excelsum, tamq; amicè amicum pluris facio, magisq; amo, quàm uniuersum strepitũ Pontificiæ fortunæ: nec mihi possum unquam parum uideri fortunatus, quóad istiusmodi amici erunt incolumes. Perplacet equus candore insignis, at magis animi tui candore commendatus. Malueram in alios quosdam prædonem agere, Reuerendiss.

Eboracenſem, Coletum, Vrſeuuicum: uerùm illi ſapiunt: quanquã Vrſeuuicus pollîcetur inſignem equũ, nec addubito quin ſit præſtiturus, idq; ad Cal. non Græcas, ſed Octob. Bene uale doctiſſime, & idem humaniſſime Ammoni. E Brabantia ſcribam Eboracenſi & Laricho. Roſſæ. XI. Calen. Septem. Anno. M.D.XIII.

Eraſmus Roterod. Ammonio ſuo S. D.

BElle hactenus mihi fuit uſq; ad nidorem hypocauſtorum, quæ nuper incendi cœpta ſunt. Hieronymus in proceſſu eſt: Nouum teſtamentum iã aggreſſi ſunt: ego nec manere poſſum ob intolerabilem nidorem æſtuariorum, nec abire ob opus inceptum, quod ſine me nullo pacto poſſit peragi. Heluetij noſtri magnoperè ſtomachantur aduerſus Gallos, quòd ſibi in acie non ceſſerint ciuiliter, ut olim ceſſerãt Anglis, ſed machinis ſuis multos diſſipauerint. Rediêre domum aliquanto pauciores quàm exierant, lacerti, mutili, ſaucij, ſignis diſſe-

dissectis: proindè pro epinicijs celebrant parentalia. Epistolam ad Leonem, cũ alijs nonnullis curauimus ædendam, sed locupletatam: si quid responsum est, quod ad me uehementer pertineat, significa tuis literis, sed cautè. Si ualetudo patietur, commorabimur hic usq; ad natalem Christi: Sin minus, aut Brabantiam repetemus, aut Romam rectà. Eboracensis donauit me præbenda Tornacensi, sed ἀδώρῳ λώρῳ, si quid nouentur res. Huius commissarius, scedis publicitùs affixis, fuit excommunicatus in Flandria: tanta illic Eboracensis reuerẽtia. Viuit, ualet, ac triumphat episcopus eius loci, uir nobilis, doctus & potens. Accepimus tamen: nihil enim facilius quàm amittere. Optarim Epigrãmata tua si fieri possit, quod & antè hàc scripsi. His literis facile ignosces, si scias, quibus eiusdem generis obruar laboribus. Bene uale doctissime Ammoni, & Erasmo fac sis, qui fuisti semper. Basileæ, postridiè Calendas Octob. Anno M.D.XIII.

Reuerendiss. Dõmino D. Thomæ

Cardinali & Archiepiſcopo Ebo-
racenſi, Eraſmus Rot.

SAlutem plurimam reuerendiſſime prę
ſul. Dolco mihi non licuiſſe familiari-
us ac diutius colloqui cum ceſsitudine tua,
priuſquam Angliam relinquerem. Extre-
mam ſacram, ut uocant, ancoram meæ
felicitatis in te fixeram, ſed urgebat Hiero-
nymus, opus ingens, & inclytum, & ni fal-
lor, ſemper uicturum, præterea pium, ac
frugiferũ. Id mihi ſic cordi eſt, ut huic om-
nia poſthabeam. Semper hoc iter obnoxi-
um latrocinijs fuit, ſed nunquam magis q̃
nunc: deinde Rhenus niuibus auctus, &
pluuijs cuncta ſuis aquis obtexerat, maxi-
mè circa Argentoratum, ut natandum fue
rit ueriùs quàm equitandum. Omnia con-
tempſi, modò prodeat Hieronymus. Ex-
cuditur & Nouum teſtamentum Græcum,
ut ab Apoſtolis eſt ſcriptum: Latinum, ut
à me uerſum, unà cum noſtris annotationi
bus. Exierunt iam & alia quædam minu-
tiora. Hæ nugæ magis nos habent occupa-
tos, ac magis intentos, quàm uos ardua iſta
negocia. His igitur abſolutis, maturabimus
redi-

reditum, maximè si tua benignitas aliquid interim parauerit, quo fatigatum hisce laboribus animum simul & corpus refocille mus. Bene ualeat Reuerendissima tua dominatio, cui me totũ dico, dedicoq;. Basil. III. Cal. Sept. An. M. D. XVI.

Erasmus Vrseuuico suo S. D.

EQui tui genius mihi fuit magnoperè felix, nã bis iam me Basileã usq; uexit ac reuexit incolumem, itinere licet periculosissimo, non solum longo. Sapit iam non minus quàm Homericus Vlysses: siquidẽ mores hominũ multorum uidit, & urbes: tot adijt Vniuersitates. Dum Basileæ meip sum penè laboribus eneco mensibus decẽ, ille interim ociosus ita pinguit, ut uix ingredi possit. Superior illa Germania, dictu mirum quantoperè mihi arriserit, idq; modis omnibus, & quàm impensè faueat Erasmo. Nouum testamẽtum non dubito quin uideris. Hieronymus totus propediẽ prodibit in lucem, unà cum libello de Principis institutione Christiani. Quatuor Hiero

nymi uolumina misi Archiepiscopo Cantuariensi per hunc Petrum unoculũ, tuum alumnum, quem offendi sic incumbentem scribendis libris, ut se laboribus propemodum confecerit. Opinor homini fatum in stare, qui tam sui dissimilis sit factus. Quin & abstemius propemodum est redditus, & uini osor: atq; hinc pallor insolitus. Tuorẽ in me beneficiorũ semper meminero, quicunq; me terrarum angulus est habiturus. Bene uale. Apud diuum Audomarum, Nonis Iunijs. Anno M. D. XVII.

Erasmus Rogerio suo S. D.

INter multos amicos, quos mihi dulcissimos Britannia conciliauit, tu mi Rogeri uel in primis occurris, qui me tam constanter amasti, sic tua consuetudine delectasti, sic officijs iuuisti, ut quocunque terrarum mea me fata deferent, Rogerij mei iucundissimam memoriam mecum sim ablaturus. Atque utinam eam libertatem tua tibi fortuna permitteret, uti nos in Italiam consequaris: possideres totũ Erasmum, quem

iam

iam multis modis tuissimum, ut ita dixerim, effecisti. Iter sat bene uertit, nisi quòd odiosa fuit nauigatio. Quatuor enim noctes de uentorum ac fluctuum arbitrio pependimus: unde & capitis dolorem contraximus, quo quidem breui leuabimur, spero. Mirum quàm mihi arrideat Gallia, hoc dulcior, quòd iam diu nõ uisa. Vti Britanniæ desiderio tenear, illud potissimum facit, q̃d in ea reliquerim amicos tam multos, tam doctos, tam integros, tam amãtes, tam officiosos, tam iucundos, denique, sic de me promeritos. Inter quos tu præcipuo loco ponendus. Quare fac ut in amando Erasmo tui similis esse pergas. Ego uicissim in complectendo Rogerio meipsum quotidie uicero. Vale Parisijs postridiè Sacrament. M.D.XVII.

Erasmus Rogerio Vuentfordo Ludi Antoniani Moderatori literatissimo S. D.

PAter Ioannis cum apud nos esset, significauit mihi, se filium alteri uelle com-

mittere, nec uerbo ſum reluctatus. Præſcripſit ille ſpacium ad Omnium ſanctorum: accepi. Adieci ſi uel ipſo momento uellet abducere, me boni conſulturũ. Non poſſum illi ſuccenſere, quippe qui ſciam quicquid huius facit, inſtinctu facere alieno. Olim abduxerat: deinde reddidit, te autore, non admodum cupienti, cum ſemel animum aliò flexeram. Rurſum cum dies quatuordecim abſtraxiſſet, ipſe reduxit, paſſurus ut me trahjcientem quoq; comitaretur. Educatus eſt apud me liberaliter, & meo quidem ſumptu: tametſi non profecit quantum ego cupiebam, tamen illud audacter affirmabo, illum plus ſcire latinitatis, quàm ſi fuerit in ulla ſchola, ne Lilianam quidem excipio, triennio conſecuturus, & ſcis primos profectus minimè apparere: tantum abeſt, ut omninò temporis iacturam fecerit. Sed quoniam uideo patris ſimplicitatem inſtigationibus huc & illuc impelli, & matrem ineptè amare, non eſt animus perdere officium. Nihil autem æquè perit, atq; id quod confertur in ingratos: non eos exiſtimo ingratos: ſed magis

etiam

etiam perit, quod confertur in non intelligentes. Nam ingratus etiamsi dissimulat, tamen apud se obnoxius est, & aliquando uel pudore gratiam refert: is qui non intelligit beneficium, etiam sibi deberi putat. Vt igitur stultũ est, bene mereri de ijs qui non intelligunt, ita bene facere inuitis, extrema dementia est. Dixit hic cuidam mihi intimo: quo minus discat puer, obstare quòd Anglicè nesciam, imò hoc ipsum in caussa est, ut quàm maximè discat Latinè, uelit, nolit. Quorsum ista inquis? nempè huc, cum pater super hac re mecum ageret, propemodum certus eram de quodam ministro, is mutata sententia traiecit in Brabantiam: rediturus tamen ante Natalem. Si ipse traiecero, id quod futurum est paulò post Calendas Nouembres, relinquam Ioannem ubi uolet. Sin minus, patietur hunc esse apud me, donec meus ille redeat, ne ob exiguum tempus sæpiùs ministrum mutem. Id tu illi persuadebis. Quod si omninò nolit, quanquã non dubito, quin sit non grauatim passurus, agat ut lubet. Ego minus molestè feram iacturam officij, quòd

in bonam indolem operam collocarim. Bene uale mi Rogeri, & aliquoties ad nos ſcribito. Iam & illud mihi uenit in mẽtem, cur unus ego uidear ei idoneus, qui filium ſuum meo ſumptu & doceam, & ueſtiam, & alam. Minus ſubijt ſordidi miniſterij, quàm apud te ſubiturus fuerit. Habitus eſt liberaliter: nihil mihi ſcripſit. Nec alui ſordidè, nec ueſtiui, nec docui indiligenter. Et ſi ille tam fuiſſet auidus diſcendi, quàm ego docendi, iam nihil opus haberet ullo literatore, aut plagoſo grammatiſta. Et puto meas literas non eſſe poſthabendas uulgarium doctorum literis. Non dico hæc, quòd admodum laborem de pecunia, ſed quòd ego præter cæteros uidear idoneus qui ſic tracter: ac deinde nulla gratia ſpolier miniſtro. Verum de his aliâs latius. Rurſum uale Rogeri chariſſime. M. D. XIIII.

Eraſmus Rogerio Vuentfordo S.D.

QVòd Copiam nolis ædi, niſi te gloriæ meæ ratio moueret, equidem gemino argumento tuam in me beneuolentiam

lentiam agnoſco: primùm, quòd amoris magnitudine cæcutiens tanti facis nugas Eraſmi tui, ut ueluti theſaurum eximium uulgo prophano communicari nolis: deinde quòd uſqueadeò mei nominis es ſtudioſus, ut rurſus affectum iſtum tuum affectu uiceris, & quaſi clauum clauo pepuleris. Quanquàm ego meæ famæ magis arbitror intereſſe, ſi neque ædantur iſta, neq; tranſſcribantur à quoquam, niſi ſummo labore elimata, quem ego odi cane peius & angue, maximè cùm uideam hinc nihil recipi fructus præter lippitudinem, ſenium præmaturum, eſuritiones, ac paulùm modò gloriæ, cũ plurima inuidia coniunctũ. Nam quod de ſtatu meo cupis cognoſcere, equidem aureis promiſſis planè diues ſum. Cæterùm fortiter eſurio. Quòd crumenam inanem tantoperè deploras, magis deplores, ſi ſcias me iſthuc diſtentam attuliſſe plus ſeptuaginta duobus nobilibus, & ne tantulum quidem ſuperfuiſſe. Ex his coniecturam facias licebit, quemadmodum hîc dilabantur nummi, ubi nihil non meo ſumptu geritur, & eſt mihi res cum dua-

duabus Charybdibus uoraciſſimis. Quod tam benignè, & ut mihi perſuaſum eſt, ex animo pecuniam tuam offers, amplector & exoſculor Rogerianum illum animum mihi iam olim & perſpectum & exploratum, cui utinam fortuna parem facultatem addidiſſet, & additura eſt aliquandò, niſi planè bonis ingenijs infeſta eſt. Iſthic niſi cum Grocino nõ uideo quo pacto poſſim uiuere, & certè cum nemine omnium uiuo libentiùs, ſed pudet eſſe ſumptui, præſertim cum nihil ſit, in quo gratiam referre queam, & ille pro ſua benignitate nihil impendi patitur. Nec admodũ cupidè iſthinc diſceſſi, uerùm hic ſcrupulus præter cætera mouebat animum meum. Intereà ne nihil agam, perficio Opus de conſcribendis epiſtolis. Copiam quoq; caſtigaturus, interim ſubindè deuouens literulas meas tam ſteriles. Vale mi Rogeri unus mortalium omnium chariſſime. D. Grocino cõmuni patrono ac præceptori plurimam ex me ſalutem dices. An. M. D. XIIII.

GRAE-

GRAECORVM QVAE IN-
sunt hisce epistolis, interpretatio Latina.

τί γὰρ ἐκεῖ πρὸς ἔπος? *quid enim ibi ad uersum?* Prouerbium, Nihil ad uersum.

ἀλλὰ πλέονες οἱ κακοί, *sed plures mali.*

ἀναδίπλωσις, reduplicatio.

κεραμεῖς, *figuli.* Alludit ad prouerb. Figulus figulo inuidet.

ὁδοιπορικόν, *id est, carmen de itinere.*

Βατραχομυομαχία, *ranarum & murium pugna.*

τῷ καγκελλαρίῳ μεγάλῳ, *Cancellario magno.*

ὁ αὐτοκράτωρ, *Imperator.*

ἄνοπλος, *inermis.*

μακρὰ κλαίειν, *longum flere.* Metaphora prouerbialis, *à se abdicare, eis renunciare.*

ἄσητος ὄμβρος, *immensus imber.*

ἡμᾶς λύκος εἶδε πρότερος, *nos lupus uidit prior.* Prouerb.

ὑγιεινὰ παραγγέλματα, *sanitatis tuendæ præcepta.*

οὗτος γοὖν ἄνεμος οὔτε μένειν οὔτε φωλεῖν ἐᾷ.

Hic

Hic enim uentus neq; manere neq; nauigare finit.

Prouerb.

ἀληθέσατον, uerißimum.

ἔγγύα παρὰ δ' ἄτη, ſponde, noxa præſto eſt.

Prouerb.

μεταμόρφωσιν, tranſformationem.

πρὸς τῶν μουσῶν, Per Muſas. Obteſtantis eſt.

ἀδώρῳ δώρῳ. non munere munere, hoc eſt. inani munere, unde nihil fructus percipiam.

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-483975-p0206-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-483975-p0212-1

Oecolampadius · part. 1 F. v. part 4 A vj
Brentius part. 3 F. v.
Melanchthon. part. 1 F vj.
Hesius. part. 2 b vij
Luther⁹ part 3 E vj F iij part 4. A vj C vj E ij
F. iij. iiij

154754
AB 154754

Laus Carol v imperatoris. e iiij

X 199761

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-483975-p0214-2

Plato.

Omnis sapientium [illegible] fio mortis est.

IX.

Politeia
75.

№ 8353 *

PARS TERTIA

BREVIORVM ALIQVOT D. ERASMI ROTERODAMI

epistolarum, quæ iam nunc collatione magni operis epistolarum sunt emendatæ.

Cum interpretatione Græcarum uocum.

COLONIAE.

ERASMVS ROTERODAMVS

Gulielmo Montiolo S. D.

VOD LOCVpletiorē quandam, absolutioremq; de conscribendis epistolis rationem à nobis efflagitasti, Gulielme adolescens ornatissime, pudentius tu quidem pro tua modestia, sed tamen ut facilè intelligerem, quantopere eius rei studio arderes: tum animus iste tuus nos haud mediocriter delectauit, tum iudicium etiam non uehementer probare non potui: nam agnosco in te perliberter, quod repentè tot priuatis publicisque negocijs implicitus, tum nouis nuptijs, ut par est, occupatissimus, ueterem tamen illum tuum erga bonas literas amorem non mutaueris. Siue ut his de rebus conscriberemus, tua ipsius interesse putabas, uideli-

cet ut ueterum principū exemplo, si quod uel absolutis negocijs, aut etiam inter ipsa contigisset ocij, id totum non nugis quod uulgò faciunt, sed honestis studijs impartires: siue hoc nostro labore, qui tibi totus desudat, Angliæ tuæ studia pro tua uirili iuuares, in qua uideres Latinas literas indies magis magisq; efflorescere. Mentem istam tuam mi Gulielme, & te dignam, & omnibus bonarum literarum studiosis, cum uoluptati, tum præsidio futuram, & laudo, ut debeo: & agnosco, ut dixi, libenter. Nec minus iudicio tuo, prudenti sanè & acri gratulor, qui utrunque rectè perspexeris: & nondum antehac ex multis, qui de scribendis epistolis præceperunt, huic tantæ rei fuisse satisfactum: & nullam esse ex omni studiorum genere partem hac una, uel quæ latiùs pateat, uel quæ tantundem habeat aut usus, aut uoluptatis: quò magis sunt reprehendendi, qui de re tam ubere, tamq; necessaria, tam ieiunè indiligenterque, ut ne dicam inerudité, conscripserunt. Vt enim interim de his taceam libellis, qui iamdiu in ludis literarijs soliti cir-

circunferri, nuper politiore literatura reflo
rescente, tanquam nebulæ sole emergen-
te, propemodum euanuerunt: quo tandem
consilio legitur à pueris Franciscus Niger,
cui non modò p̃ceptiones triuiales sunt,
neque ex intimis (ut oportebat) Rhetorũ
fontibus petitæ: sed nulla etiam extat epi-
stola, non dicam elegans & uenusta, sed ne
Latina quidem. Tum illud q̊d Marñ Phi-
lelphi nomine circunfertur opus, confusa-
neum planè, perturbatum q̃z mihi uidetur:
& si dicendum liberiùs est, parum tum eru
ditum, tum ad id quod promittit, accom-
modatum. Nam præterquam quod syno-
nyma habet nimium puerilia, dicendi ge-
nera in singulis epistolarum generibus, fe⁊
rendum erat quod odiose inculcat, ni id &
imperitè faceret, qui eam grauissimam epi
stolam iudicarit, quæ uerbosissima esset, &
quàm maximè alieno repetita principio.
Tum in ipso operis limine quorsum atti-
nuit Rhetorices præcepta toties perscripta
repetere? An ut reiectis Ciceronis & Fa-
bñ libris, huius nugas pueri lectitarent?
Nec Sulpitñ Perotti q̃z doctrinam contem

no, quibus in eis libris, quos grammaticos ipsi uocant, haud Rhetoricos, facultatis huius degustamenta quædam præbere, consiliũ erat, &c. Bene uale. Anno M. CCCCC. XCVIII.

Erasmus Rot. R.P. Hẽrico à Bergis Episcopo Cameracensi S D.

CVM hominis coniũctissimi dignũ immortalitate ingenium, quàm celebratissimum efficere cuperem, ornatissime pręsul, id ita demum fore existimaui, si celeberrimi tui nominis titulus operi nouo uelut fax quædam præluceret: non quòd hoc muneris tuæ præstãtiæ aut aptum, aut magnoperè dignum iudicassem, uerùm ut nouo autori tuis è laudibus nonnihil tum gratiæ, tum autoritatis accederet: id quòd mihi abunde uideor assequutus. Tanto ẽm ardore meus Gulielmus ab uniuersis huius Academiæ alumnis, legitur, rapitur, tenetur, ut dictu prope sit incredibile: iã passim in publicis auditorijs, in collegijs Gulielmi mei nomen perstrepit. Hoc munere si te ni-

te nihil offendi senſero, sat pulchrè proce-
do: sin gratiam etiam ineo, planè triũpho.
Donamus enim aliena, nihil enim ipsi ex-
cudere potuimus, theologiæ studijs occu-
pati: & Hieronymi monita sequuti, disci-
mus, quod doceamus. Breui tamen aliquã
studiorꝝ nostrorum frugem expecta, quã
tuo nomini propriam faciemus. Me mor-
bus prorsus exhausit. & cutis & loculi la-
xissimi sunt: illa carne, hi nummis sarciẽdi.
Tu pro tua consuetudine facito, ac bene
uale. Parisijs. M. CCCC. XCVIII.

Erasmus Rot. Christiano suo, qui opera Augustini scripserat fucatius.

SAlueto quantum uoles. Ita me Deus
amet, haud expectarã abs te tantũ ele-
gantiæ uel eloquẽtiæ potius: nam elegan-
tem futurum facilè prospexi. Quare tuæ li-
teræ uoluptati mihi in primis fuerũt. Pro-
inde te hortor, ut isto cursu pergas, prope-
diem tui præceptoris similimus euasurus:
sed genus aliquod dicendi, tanquã signum
tibi proponas, censeo: ne uaria, suiq; dissi-

milis nascatur oratio. Id autem genus potissimũ eligẽdum, ad quod te potissimum natura composuit, de te cõiecturam sumere licet. Videris ad Timonis propius quã ad Ciceronis formam accedere: equidem malim Ciceronis. Atticum erat præstãtissimum. Ab Asiatico longè abes. Rhodium nihil est quòd petas. Punicum referre uideris, uel Allobrogicum potiùs, quod quidem longè temperatissimum esse constat, uidelicet ex Arabico & Iberico mediè mixtum, Caleno interim rubetã dissimulante. Verùm ineptè hæc te doceo sus, cum tibi Minerua sit domi. Verùm is, ut est noua quadam humanitate, dabit ueniã, si meam falcem in ipsius messem misero: mittam enim sæpius. Non displicet istud dicendi genus, ut ille materiam, tu uerba ministres. Idem olim Crassus factitauit Orator haud uulgaris, sed hîc ex priscis. Vidi ipse corniculam Horatianam, cuius te similem esse nolim. Eris autem, si præceptoris, quàm similimus esse studueris. Quod me amas, nihil scribis noui, sciebam enim antea. De nostro certamine Christiane, nihil est q̃d labo-

labores:tu tanti es, nisi mihi Augustinus mentitus est,quod non solet. Bene uale cũ tuo Dædalo,Lutetiæ Anno M. CCCC. XCVIII.

Erasmus Ganguino.

CEREAles & Anabasij qui sint apud Hieronymum in Ruffinum, non satis intelligo. De Cerealib' somnio, nescio quid. Vtroq; uerbo uestigatores quoquo uersus dimissi significari uidentur: tu me doceas uelim. Dialectica Laurentij iampridem desidero:quæ si tibi sint, obsecro commodes:sin minus, cõmonstres à quo mihi sint petenda. Bene uale. M. CCCC. XCVIII.

Erasmus Roberto Piscatorî.

VIde quàm sit auidũ & querulum fœminarũ genus. Nudiustertius puer meus ab hospite nostra ueteri plurimũ retulit querelarũ. De nostrûm utroq; nescio quid maritus murmurabat. Mater ne Nor

mana planè non esset, querebatur se pro laboribus, quos mea causa cepisset, nihil gratiæ recepisse. Filia te pmalignè soluisse aiebat, & pristinæ tuæ consuetudinis oblitum fuisse. Ego decuplo beneficium emo: redimo enim cumulatissima mercede officiū, & nihilominus beneficiū debeo. Hos mulierum mores cū mecum reputo, tum gaudeo me in hoc uitæ genus incidisse: si casu, feliciter: sin iudicio, sapienter. Habes ieiunam epistolam: argumentum mihi ieiuna illa mulier ministrauit. Tu si bona ualetudine fueris, gaudemus: nos optamus quidem, imò iam speramus: cœpit enim morbus paulatim remitti. Lutetiæ 1498.

Erasmus Rot. Thomæ Grēio S. D.

SI unquam tibi gratum aut feci, aut uolui, quæso ut hoc mihi gratiæ referre nō graueris. Huic iuueni, quas ad te literas scripsi, tradito: ubi meis uehementer efflagitantibus copiam fecero, remittam. Bene uale. Anno M. CCCC. XCVIII.

Erasmus

Erasmus Roterodamus Antonio Lutzenburgo S. D.

ANtea mi iucũdissime Antoni, te tan tùm hominem humanissimum, & optime de me meritum amabam, nunc eti am ut literatum amplector: id quod ego nunc demum tuis è literis cognoui. Caue me putes assentari, maiorẽ in modum delectauit stilus ille simplex & naturalis: uerba nõ adscita, sed unà cum ipsis sententijs cohærentia: sensus sani ac solidi, nihil neqꝫ in uerbis neque in sententijs aut portentosum, aut distortum, aut coactum aut immi nutum denique, aut redundans. De Disma sic habe: extat & apud Varronem, & apud Gellium peruetustum Adagium huiusmodi: Malum consilium cõsultori pessimum. At ego confido hoc optimo consilio nos omnes gauisuros: in primis humanissimũ Abbatem, patronũ (si pateris) mihi tecum cõmunem, qui charissimo adolescenti pul cherrimè consuluit: me, qui bene monuerim: te qui fidelem & amicam nauaris operam. Dismam ipsum qui iam nunc tibi gratias

tias agit maximas: deniq; & Tutorem, qui tandem nactus est, cui libenter literas suas communicer, & apud quem industriã suã bene collocet. Est is, mihi crede, unus omnium, quos aspicit Sol, integerrimus uir, & candidissimus. Purgabis me reuerendissimo D. Abbati, quòd tam incomposite scripserim. Battũ excita ut Battus sit, nunquam enim fuerit opportunius. Bene uale mi Antoni. Lutetiæ, XVII. Calend. April. Anno M.CCCC.XCVIII.

Erasmus Rot. Antonio Lutzenburgo. S. D.

ACcepi simul & Abbatis munus, & à Batto missam pecuniolã: qua de re si nunc parũ accuratè gratias ago, ne putes id inde esse, quod parũ hoc munere sim lætus, sed erat negocij quiddam, & ualetudo admodum agitata. Cæterum quantum & te, & Abbatem, de hoc dono pro meis meritis, quæ nulla sunt, deamẽ, breui declarabo. Valebis, & tui similis mi Antoni esse perges. Anno M. CCCC.XCIX.

Eras-

Erasmus Roterodamus Batto suo
S D.

DE morbo tuo spero equidem εὐλόγως esse: metuo tamen nõnihil, ut sunt res mortalium. Nostra causa nihil est quod te angas anime mi: nostra charitas ut non cepit à commodis initium, ita his sublatis non euanescet: quod autem fors fert citra nostram culpam, id æquo atque adeò magno animo ferendũ. Vtinam ualetudo tantũ nobis prospera contingat à superis: cætera ipsa perrumpemus: sed ea mi Batte, iam nũc uacillat admodum. Illa quæ se negauit olim mihi fœminam fore, cur nunc etiam plus sit quàm fœmina, uehementer admiror: sed durum telum necessitas: quare mussitanda res, & tempori seruiendum. De D.P. semper mihi malè præsagijt animus: sed hæc ab exitu spectabuntur. Desino iã mi Batte, de mea fortuna queri, quando sperare desij: hoc unum pudet, rem tam late manasse, non sine multorum (ut opinor) inuidia. Tu mi anime facito te confirmes, tibiq; quamprimum consulas. Vides enim rerum aulicarum qui sint æstus. Anno-

ta-

notatiões ſcripſi in officia Ciceroïs, is propediem excudetur. Dicaturus eram Adolpho, ſed nihil uideo cauſæ. Ludouico meis uerbis dices, gratiſſimum mihi facturũ, ſi quæ ſunt apud te epiſtolæ, diligẽter perſcripſerit. Vale optime ac ſuauiſſime mi Batte, Lutetiæ nonis Aprilib. Anno M.CCCC. XCVIII.

Eraſmus Rot. Benſerado ſuo S D.

SCripſimus heri de rebus omnibus humaniſſime doctiſſimeq; Benſerade, ſed quoniam alter datur tabellario, rei ſummã modò repetã. Ex Hollandia reuerſus, apud Battum totus in literis uiuo, maximè Græcanicis. Miſimus ad te Euripidem & Iſocratẽ, miſſuri plura: ſed metus erat, ne peſtis iſtinc te iam aliquò propuliſſet. Si quid nouæ Græcanitatis, ueſtem citius oppigne rauerimus, quã non potiamur: maximè ſi qua Chriſtiana, ut ψαλμοί, ut Euangelia. Opes meas apud te depoſitas, tibi cõmendo. Scripſimus & Auguſtino, de quo quid ſit, cupio diſcere: nihil enim adhuc inaudiuimus.

uimus. Vtinam mi Benſerade noſtras Muſas liceret coniungere: ſed hac de re alijs̄q; omnibus ſcribes copioſe. Summam tuã in me humanitatem, optime Nicolae, neque apud me patiar intercidere, neque diſſimulabo. Enitar pro uiribus, ut ſi gratinomen nõ poſſim aſſequi, ſaltem ingrati hominis notam uidear effugiſſe. Vale. Salutat te ex animo Battus toto pectore tuus. Ex Torne henſi XV. Calendas Auguſti. Anno M. CCCC. XCIX.

Eraſmus Batto S. D.
Epiſtola iocoſa.

NIhil opus ut te gaudere iubeam, quũ iamdudũ te abunde gaudere ſciam, qui quidem me moleſtam ſarcinam humeris tuis excuſſeris. Adrianus etiam nunc ad ſe inuitat. Gardianus palàm ſuadet, ut apud Abbatem potiùs uerſer, ſi commodè queam. Medicus contrà, ut apud Adrianum. Vterq; facit opinor, quod canes ſolent, qui ſocium in culina nullum amant. De Gardiano an per omnia ſyncerus ſuturus

rus sit subhæsito. Nam subarrogantem esse sentio. Neqꝫ de Adriano unquam uerbum te fecit, cũ per illum res hæc potiùs confici debuerit. Nos, quicũq; erit exitus, magno animo excipiemus. Tu cura ut ualeas mi Batte. Mitte ut primũ commoditas dabitur, nostra oñia, nostrosq́ꝫ Dialogos omnes (si libeat fortè perspicere) Ludouico insta, ut quantũ potest, omnes meas epistolas transcribat. Vale. Non remoror Ludouicum dehortantem medico, ne magis in me murmurent isti cucullati. Audomari M.CCCC.XCIX.

Erasmus Batto suo S. D.

PER quem mihi meas lucubrationes miseras, per hunc ego tibi Laurentij partem unà cum meis literis remisi. Tabellioni, ita ut iusseras, octo denarios dedi: præterea nihil erat quod scriberem noui. Euenit mihi quod uulgo solet, ut uulnus illud in Anglia acceptum, nunc demum dolere incipiat posteaquam inueterauit: & hoc magis solet, quòd cùm indignissima sit con-

sit coniunctum contumelia, nulla tamen à me talio referri potest. Quid enim ego aut cum Anglia uniuersa dimicem aut rege? Nihil illa commeruit. Et in eum scribere, qui possit non solùm proscribere, uerum etiam occidere, dementiæ extremæ puto. Quare hac in re cũ Themistocle obliuiscendi artem opto. Sum quidem totus in literis, & Adagiorum priscorum collectanea meditor conscribere, tumultuario quidem opere. Video Chiliadas aliquot futuras, uerùm duas duntaxat, aut tres ad summum centurias emittere est animus. Eas tuo Adolpho dicabo. Miror te per hunc Franciſci fratrem nihil scripsisse. Vide ut sarcinam diligenter meam exceptes: nam Galba ille ut scis, harpya est: exceptam diligenter ad me mittas. Est in ea tunica partim nigro, partim subnigro suffulta: est chlamis abs te empta: est caligarum uiolaceo colore par: est Augustini Enchiridion membranis scriptum: sunt Pauli epistolæ: sunt alia nescio quæ. Græcæ literæ animũ meum propemodum enecant: uerùm neque precium datur neque suppetit, quo li-

bros, aut præceptoris operam redimam. Et dum hæc omnia tumultuor, uix est unde uitam sustineam: hoc literis nostris debemus. Bene uale Batte charissime. Quæso te ne quid nostræ querelæ moueant: libuit enim, ut soleo, apud te animi curas effundere: cæterum animũ non temere abijciemus, & iuxta uetus Adagium, dum spirabimus, sperabimus. Lutetiæ. M.CCCCC. XCVIII.

Antonius de Bergis abbas Bertinicus, Ioanni de Medicis Cardinali, per Erasmum Roterodamum.

SAlutem quam amplitudo mihi tua scripsit, equidem maximi muneris instar accipio, eamq; tibi plurimo fœnore cumulatam rescribo. Ex epistola tum eruditionis, tum modestiæ plena, humanissimi pectoris istius, & omnino Medicum gente digni simulachrũ libenter agnoui, id quod antehac, cùm apud nos ageres perspexeram. Quod autem hospitioli nostri non solùm meministi, uerùm etiam tam diligenter

genter

genter pro eo gratias agis: quod'q; tam benignè tuam inuicem operam offers, animum quidem istum tuum tam propensum, uolens gaudens'q; amplector, meritum meum nullum agnosco. Quòd enim nostra mediocritas, cum cognoscendi studio in his regionibus nostratibus uelut Vlysses Homericus, aut Solon Herodoticus peregrinum ageres, qualicunq; sedulitate accepimus, nulla hîc nostra prædicanda est humanitas, sed summa barbaries inhumanitas'q;, ni feciſſemus, fuisset. Vtinam autem uel tuæ dignitati, uel nostro animo satisfactum esset. Mea quidem tecta multis iam annis hospes nullus subijt uel ornatior uel iucundior: ut hoc nomine me tibi beneficium debere potiùs existimem, quàm credidisse. Porro opera tua, si quando erit usus, tanto omnino libertate utar, quanta tu benignitate offers. Libuit autem interim & hac in re priscum referre morem, ut tuæ præstantiæ non solùm hospitalis epistolæ, uerùm etiam xeniorum uice nonnihil adderem. Mitto autem cantiunculas Musicas duas: quod ego munus,

tametsi per quàm exiguum, ac Ciceroniana etiam leuidensa leuius, tamen haud ingratum fore confido, uel quòd es ipse huius artis antiquissimæ, omniumq; consensu diuinæ longè sapientissimus, itidem ut aliarũ omnium: uel quòd cantilena recens & nuperrimè nata, & ex eo quidem nata, qui se quondam in clarissima Medicum familia prædicat alitum fuisse: quæ mihi nimirũ ingenijs excitandis, ornandisq; studijs cœlitus data fuisse uidetur. Is est in nostra urbe Musicæ artis princeps. Præposito Vuatensi salutem tuã tuis uerbis annunciaui: eam incredibili accepit cum uoluptate, suamq; largiter ascribi iussit. Præstãtissimam amplitudinem tuam florentem & incolumem tueantur superi. Apud diuum Audomarum. III. Calen. Augustas. Anno à Christo nato supra millesimum quingentesimo primo.

Erasmus Christiano Lubecensi suo S. D.

CVm te incredibili quodam ardore literarum flagrare minimè dubitarem

Chri

Christiane non uulgaris amicè, hortatore nihil opus esse putaui, sed eius quã ingressus esses uiæ duce modò, ac tanquam indice: id quod mei officij esse iudicaui, uidelicet ut tibi homini non modò copulatissimo, uerumetiam iucũdissimo, uestigia quibus ipse à puero essem ingressus commonstrarem. Quæ si tu pari cura accipies, atque ego dicturus sum, futurum confido, ut neque me monuisse, neq; te paruisse pœnituerit. Prima igitur cura sit, ut præceptorem tibi deligas quàm eruditissimum. Neq; enim fieri potest, ut is rectè quicquã erudiat, qui sit ipse ineruditus: quem simulatq; nactus eris, fac omnibus modis efficias, ut ille patris in te, tu filij uicissim in illum induas affectum. Ad quod quidem cùm ipsa honesti ratio nos debet adhortari (q̊d non minùs debeamus his, à quibus rectè uiuendi rationẽ, quàm à quibus uiuendi initia sumpsimus) tum mutua ista beneuolentia tantum ad discendum habet momenti, ut frustra sis literatum præceptorem habiturus, nisi habueris & amicum. Deinde ut te illi & attentum & assiduum præbeas. Con-

tentione enim immodica nonnunquam obruuntur ingenia discentium. Assiduitas uerò & mediocritate sua perdurat, & quotidianis incrementis maiorem opinione aceruum accumulat. Satietate cùm omnibus in rebus, tum in literis nihil perniciosius. Laxanda est igitur aliquoties illa literarum contentio. Intermiscendi lusus, sed liberales, sed literis digni, & ab ijs non nimis abhorrentes: imò medijs ipsis studijs perpetua quædã uoluptas est intermiscenda, ut ludum potius discendi, quàm laborem existimemus. Nihil enim perdiu ferri potest, quod non agentem aliqua uoluptate remoretur.

OPtima quæq; statim ac primũ discendo. Extremę est dementiæ discere desinenda. Quod in curando stomacho solent præcipere medici, idem tibi in ingenijs seruandum puta. Caue aut noxio aut immodico cibo ingenium obruas: utroque enim iuxtà offenditur. Ebrardum, Cotholicon, Brachylogum, cæterosq; id genus, quos percensere neq; possum neque operæpretium est, ijs relinquito, quos barbari-

bariem immenſo labore diſcere iuuat. Initio non quàm multa, ſed quàm bona percipias refert. Sed iam rationem accipe, qua poſſis non ſolùm rectiùs, ſed etiam faciliùs diſcere. Hoc enim in homine artifice præſtare ſolet artis ratio, ut tantundem operis, cùm rectius expeditius'que, tum leuius etiam efficiat. Diem tanquam in operas partire, id quod & à Plinio ſecundo, & à Pio pontifice maximo, uiris omni memoria præſtantiſſimis, factitatum legimus. Principio (quod caput eſt) præceptorem interpretantem non attentus modò, ſed & auidus auſcultato: non contentus impigrè ſequi differentem, aliquoties præuolare contende. Omnia illius dicta memoriæ, præcipua etiam literis mandabis, fideliſſimis uocum cuſtodibus: quibus rurſus ita confidas caue, ut diues ille ridiculus apud Senecam, qui ſic animum induxerat, ut ſe tenere crederet, quicquid ſeruorum quiſquam meminiſſet. Noli cõmittere ut codices habeas eruditos ipſe ineruditus. Audita ne effluant, aut apud te, aut cum alijs retracta. Nec his contentus, aliquam tem-

poris partẽ tacitæ cogitationi tribuere memẽto, quã unã diuus Aureliustũ ingenio, tũ memoriæ in primis conducere ſcripſit. Conflictatio quoque & tanquam palæſtra ingeniorum neruos animi præcipuè tum oſtendit, tum excitat, tum adauget. Nec ſciſcitari ſi quid dubitas, nec caſtigari ſi qd errabis, ſit pudor. Nocturnas lucubrationes atque intempeſtiua ſtudia fugito: nam & ingenium extinguunt, & ualetudinem uehemẽter offendunt. Aurora Muſis amica eſt, apta ſtudijs. Pranſus aut lude, aut deambula, aut hilarius confabulare. Quid qd inter iſta quoque ſtudijs locus eſſe poteſt? Cibi non quantum libidini, ſed quantum ualetudini ſatis ſit, ſumito. Sub cœnam pauliſper inambula, cœnatus idem facito. Sub ſomnum exquiſiti quippiam ac dignum memoria legito, de eo cogitantem ſopor opprimat, id experrectus à te ipſo reposcas. Plinianum illud ſemper animo inſideat tuo: omne perire tempus quod ſtudio non impartias. Cogita iuuenta nihil eſſe fugacius, quæ ubi auolarit ſemel, redit nunquam. Sed iam hortator eſſe incipio

ſio, indicẽ pollicitus. Tu ſuauiſſime Chriſtiane, hanc formam, aut ſi quam poteris meliorem, ſequere, ac bene uale. Lutetiæ M. D. XIX.

Reuerendiſſimo Domino, D. Erardo à Marca, Epiſcopo Leodienſi, Eraſmus Roterodamus S. D.

REuerende Præſul, mitto celſitudini tuæ qualecunque animi in te mei documentum, Paraphraſin in duas epiſtolas ad Corinthios. Opus modis omnibus nouum eſt, ſi non meretur alio titulo commendari. Certamen erat inter typographum ac me, utrum ille plus excuderet ſingulis diebus ſuis formulis, an ego meo calamo deſcriberem. Opinor opus uicturum, uel inuitis miſoglottis. Tu pro tua humanitate boni conſules. Qui codicem reddit, iuuenis eſt eruditus ingenijſq; candidiſſimi, ab actis oppidi Antuerpienſis, melior animæ meæ pars, hunc quæſo pro tua humanitate complectere, ac bene uale.

Louanij XI. Calendas Martias. Anno M. D. XIX.

Eraſmus Roterod. collegio Canonicorum Metenſium, S.

ORnatiſſimi patres ac domini, ut quiſque uenatur quòd amat, nonnullorum prædicatione didici, apud uos eſſe bibliothecam non uulgaribus, ſed eximijs ac uenerandæ uetuſtatis codicibus differtam. Et quoniam ex Euangelica lege iubemur ſuum quiſque talentum ſic in uſum publicum conferre, ut uſuram approbet, qui ſortem credidit: ego ſtudium meum ad hoc appuli, ut uetuſtiſſimos autores aut in lucem eruam, & à blattis tineisq; uindicem, aut deprauatos emendem. Etenim ut grauis eſt iactura nobis interire, quod tantis uigilijs ſummi uiri prodiderunt: ita non extare uidetur, quod extat ſic mendis undiq; conſpurcatum, ut nec legi poſſit, nec intelligi. Nec dubito quin ueſtra quoque pietas publicæ faueat utilitati, nihilq; minùs probet, quàm canem illũ præſepi incu ban-

bantem, de quo est in Græcorum prouerbijs: præsertim cũ ita liceat istam utilitatẽ alijs communem facere, ut uobis nihil deteratur. Proinde uos oro, ne grauemini bibliothecæ uestræ indicem ad nos mittere, potissimũ eos libros recensentem, qui uulgo non habentur, aut habentur deprauati, id quod usui uenit in omnibus propè uetustioribus. Ex eo deligam, quos existimẽ maximè profuturos. Hac in re si nostros conat⁹ uestra pietas adiuuabit, primũ rem faciet Christo gratissimam, deinde splendidissimo collegio uestro cum primis gloriosam. Neq; enim committemus, ut uestrum officium ignoret posteritas. Incolumes seruet omnes Christus optimus maximus, domini in Christo plurimùm obseruandi. Louanij pridie Idib. Iulij. Anno M. D. XIX.

Erasmus Roterodamus Ludouico Viueti S. D.

APVD illustrissimum Ferdinandum in medio colloquio Episco-

pus

pus Leodiensis expostulauit mecũ, quòd à Cardinali Croio non retulerim responsum. Vix occurrebat, quo me purgarem. Nam suspicor eam epistolam illi non fuisse redditam. Ego in culpa, qui eam ipse non reddiderim. Literæ quas tu mihi reddidisti, planè fuerant resignatæ. Quò sæpius colloqui datur cum illustrissimo Ferdinando, hòc mihi indoles illius magis ac magis arridet. O utinam hæc regio sub tali principe centum annos florere possit. Nũc ut apparet, relegatur in Germaniam, cuius lenta consilia nobis magno constabunt. Sed hæc fatis relinquamus. Admone tuum patronum si quid lubeat rescribere Præsuli Leodiensi, quem opinor hîc ad quatriduum commoraturum. Bene uale. Mechliniæ Natali diuæ Gertrudis M. D. XIX.

Erasmus Roterodamus Thomæ Linacro S. D.

LVtetiam peruenimus, cætera quidem incolumes, uerùm nauigatione quatri-

triduana moleſtum quoddam malum con
traximus collecto frigore, quod etiam nũc
ſynciput meum malè diſcrutiat. Tument
utrinque ſub auribus glandes, palpitãt tem
pora, tinniunt aures ambæ. Atque inte-
rim nullus adeſt Linacer, qui me arte ſua
liberet. Tanti iam nunc conſtitit nobis
σωθήκη ἰταλική. Nam mihi nihil unquam
æquè fuerat decretũ in uita, quàm ne quan
do fluctibus & uentis me committerem,
ubi terra pateret iter. Gallĩs reuiximus,
nam hîc conſtans perpetuaq; fama diſſi-
parat Eraſmum ad ſuperos abĩſſe. Eum
rumorem auguror è Milonis illius Galli
morte per errorem natum fuiſſe: ſiquidem
& ille è Gallia profectus, in Montioñ fa-
miliam conceſſerat, paucisq; poſt diebus
peſtilentia correptus, interĩt. Huic autem
errori: nam omine nihil moueor: illud cer-
tè debeo, quod iam nunc uiuus præguſta-
rim, quid ſint ſuperſtites dicturi de mor-
tuo. Sic mihi arridet reuerſo Gallia, ut du-
bium ſit, utrum magis animo meo blãdia-
tur Britannia, quæ tot, tales'que mihi pepe
rerit amicos: an Gallia, uetere familiari-
tate

tate, tũ libertate, postremò propenso quodam in me fauore ac studio, dulcissima. Quò fit ut duplici quadam uoluptate perfundar, dũ pariter iuuat & Britannicæ consuetudinis meminisse, præsertim quã breui sperem mihi repetendam, & Gallicos amicos reuisere. Non possis non ridere, si scias quàm auidè meus Græculus Δῶρον illud à me pro calamis Cyprijs promissum expectarit, quoties Δώρου meminerit, quoties incusarit quòd non mitteretur. Iuuat profectò sic coruum delusisse hiantem. At homo stupidus non animaduertit me scripsisse ad hunc modum πέμψω Δώροντι ἄξιόν σου, id est, rem malam. Prouinciam susceptam de Baptistæ liberis instituendis spero feliciter cessuram. Video enim pueros bene ingeniatos, modestos, tractabiles, & qui iam nunc plus quàm pro sua ætate sapiant. Clystone illo eorũ curatore nihil candidius, nihil amantius, nihil officiosius. Vale doctissime atque humanissime præceptor, & crebriùs ad nos scribe, uel paucis, modò scribas. Lutetiæ M. D. VI.

Erasmus

Erasmus Roterodamus Thomæ Linacro Medico Regio S. D.

TAMetsi nouum non erat, tamen gratissimum fuit, quòd ex Mori literis cognoui te tam amicè nobis fauere, licet immerentibus. Nouũ testamentum adeo placet ubique doctis, etiam ex ordine Theologorum, ut indocti pudore obticescant. Febricula subito oborta fuit in causa, quo minus me nauigationi commiserim, præsertim dissuadente medico Gisberto. Maiorem in modum te rogo, ut pharmacum quod cum proximè essem Lõdini, sumpsi te autore, denuo descriptum mihi transmittas, nam puer schedulam apud pharmacopolam reliquit. Erit id mihi longè gratissimum. Cætera ex Moro cognosces. Bene uale, Ex diuo Audomaro. Nonis Iunijs.

CRocus regnat in Academia Lipsiensi, publicitus Græcas docens literas. Vtinam prodirent tuæ lucubratiónes, fidem omnibus facturæ meæ prædicationi,

qua

qua nusquam non utor, uel quòd ita res habet, uel quo magis nostros ad studium inflammẽ. Si quid erit huius negocij, in quo tibi queam gratificari, senties hominẽ ad obsequendum promptissimum. Rursum uale. Grocino facito me commendatum, quem adeo non odi, ita me Deus amet, ut ex animo uenerer etiam ac suspiciam. Rursum uale. Anno M. D. XIIII.

Erasmus Coleto suo S. D.

SI tibi risum mouere possunt nostra infortunia mi Colete, est quod abunde rideas. Nam præter ea quæ iam Londini contigerant, equus ministri mirè claudicabat, mutarat enim auriga eum, quem Bouillus miserat: deinde toto itinere nihil erat, quòd ederet. Postero die, perpetua pluuia usque ad prandium: à prandio fulgura, tonitrua, hymbres: equus ter collapsus in caput. Bouillus consultis astris, ait se deprehendisse Iouem nonnihil iratum. Hoc mihi iam nunc placet, uideo

deo uestigia Christianæ paupertatis. Quęstum usque adeò non spero, ut intelligam hîc demum effundendum mihi, quicquid à Mecœnatibus queam auellere. Est hîc medicus nostrâs, qui præsidio quintæ essentiæ, prodigiosa designat facinora: è senibus iuuenes, è mortuis uiuos facit: undè nõ nulla spes est, futurum, ut reiuuenescam, si modò liceat quintam essentiam degustare: quod si contingat, non omnino pœnitebit huc aduenisse. De quæstu nihil uideo: quid enim auferam à nudis, homo nec improbus, & Mercurio irato natus? Bene uale præceptor optime. Vbi cœperimus profiteri, significabo quo pacto res succedat, ut magis etiam rideas. Cantabrigiæ è collegio reginæ, natali diui Bartholomęi. Audebo fortassis & Paulum tuum aggredi. Audaciam Erasmi tui specta. Rursum uale. M. D. XI.

Antonio à Bergis Abbati diui Bertini, Erasmus Roterodamus S. D.

C Salu

SALVTEM plurimam pater reuerende. Parùm abfuit quin ipſe uos reuiſerim huius Britannicæ legationis comes. Nam reuerendus Epiſcopus Roffenſis, uir non ſolùm admirabili integritate uitæ, uerùm etiam alta recondita'que doctrina, tum morum quoque incredibili comitate commendatus maximis pariter ac minimis, me, tametſi nihil oñino ſum, pro ſua humanitate, ſingulari fauore ſemper eſt proſequutus, & huius itineris comitem uolebat: ſed ſeriùs mihi fuit indicatum, quàm ut uacauerit res meas componere. Quare putaui officij mei eſſe, ut tam ſingularē patronum, ſaltem per literas ſalutarem, præſertim quum proximè reuerſus è Lutetia, inſalutato te diſceſſerim. Quod ipſum tamen caſu ſic euenit. Nā arbitrabar me menſes aliquot in arce Hammenſi commoraturum: quæ me res planè fefellit: quemadmodum optimè nouit Ghisbertus medicus tuus. De noſtro ſtatu ſi qd cupis cognoſcere, iā Eraſmus propè totus eſt in Anglum transformatus: tam inſigni benignitate

tate me prosequũtur cũ alij permulti, tum præcipuè Mecœnas ille meus unicus Archiepiscopus Cantuariensis, imò non meus, sed omnium eruditorũ, inter quos ego postremas teneo, si modò ullas teneo. Deum immortalẽ quàm felix, quàm fœcundum, quàm promptum hominis ingenium? Quanta in maximis explicandis negocijs dexteritas? quàm non uulgaris eruditio? Tum autem quàm inaudita in omnes comitas? quanta in congressu iucunditas? ut, quod uerè regium est, neminem à se tristem dimittat. Ad hæc quãta quamq; alacris liberalitas? Postremò in tanta fortunæ dignitatisq; præcellentia, quàm nullum supercilium? ut solus ipse magnitudinem suam ignorare uideatur. In amicis tuendis nemo neq; fidelior, neque constantior. In summa, uerè primas est, non solùm dignitate, uerũ & in omni genere laudis. Hunc quum habeam mihi propiciũ, quid est quò minùs mihi uidear egregiè fortunatus, etiam si nihil accedat? Sed ô ter'que quater'que felicem Carolum illustrissi-

mum principem noſtrũ, qui talem ſit ſpon
ſam habiturus. Nihil à natura fingi poſſit
uenuſtius, nihil abſolutius. Nec minùs ſu-
perat omnes bonitate prudentiaq́, quàm
forma. Bene ualeat R. T. Londini po-
ſtridiè nonas Februarias. Anno M. D.
XV.

Eraſmus Rot. Ioanni Baptiſtæ Sere-
niſſimi Anglorum regis
medico primario
S. D.

CVM ſuperioribus diebus, tanto ami
co xeniolum aucupanti, fortè in-
curriſſet in manus Luciani de Aſtrologia
commentarium: ipſo ſtatim titulo dele-
ctatus, maiorem in modum optare cœpi,
eſſet eiuſmodi, quod dignum uideri poſ-
ſit, primùm & tuis in me meritis, & meo
in te animo: deinde dignum eo uiro, qui
ſingulari doctrina ſua, fide, prudentia, pri-
mi medici locum tot iam annos merue-
rit, id'que apud duos ſeculorum omnium
primos Angliæ reges, Henricum ſepti-
mum,

mum,inaudita ſapientia principem,& huius filium, non nomine tantũ & ſpecie,ſed omnibus regijs dotibus ita patrẽ nobis referentem, ut ille non deceſſiſſe, ſed in hoc repubuiſſe uideatur:poſtremò dignum eo, qui in hac excellentiſſima Aſtrologiæ diſciplina ſic excellat,ut reliqui tecum collati,umbræ uolitare uideantur,quemadmodum inquit Homerus.Sed munuſculũ hoc qualecunq;,primũ offerentis animus apud te commendabit: deinde tui candoris erit, atque adeò moris,è puſillo amplum, è mediocri præclarum atq; eximium reddere: id ita fiet,ſi quidem exibit libellus in lucẽ, non modò Baptiſtæ calculo commendatior,uerumetiam lima terſior. Nobis quidem in eo potiſſimùm arriſit antiquitas. Cæterùm tu, quò es oculatior, hòc plura perſpecturus es, quæ probari mereantur. Nã à Luciano nihil ferè triuiale ſolet proficiſci. Nos interpretis haud infidelis officio functi ſumus:tu pariter de autore, & de interprete ſententiam feres. Bene uale. Londini, natali diui Martini. M. D. XII.

Erasmus Roterodamus Petro Aegidio S. D.

NIhil unquã accidit mihi mi Petre tuis literis mellitius: ad quas si breuiter respõdeo, facilè tu quidem ignoſces, si scias quantis studiorũ laboribus penè confectus essem: à quibus simulatq; dabit ocium, Aegidium meũ non literis modò, uerùm etiam iustis uoluminibus onerabo. Dabis operam, ut hæc quamprimũ ad Iodoci Badij manus perferãtur. Paraui prouerbiorum opus, & ita locupletaui, ut prorsus aliud reddiderim: at multò, ni fallor, melius, quũ esset non admodũ malũ. Quare nihil est quòd aliorum timeat êditiones. Conuenerat cum Francisco bibliopola, ut illi exemplar committerem: uerùm insalutato me discessit. Precium quod in suis literis præscripsit, lubẽs accipio: nec enim magnoperè commoueor lucello. Ipse paret omnia, ut opus sic exeat ex ipsius officina, ut non facilè sit cuipiam æmulari. Absoluã castigationem Noui testamenti: absoluam epistolas diui Hieronymi: &, si dabitur ocium,

um,emendabo & Senecam. Fieri poteſt ut ipſe uos reuiſam à Paſcha:quod ſi non licebit,mittam in primis Prouerbia,cùm certus aliquis dabitur,per quẽ mittam. Nonnihil ſolicitꝰ ſum,ut Græcis formulis huic operi ſatisfaciat,quod ſemigræcum eſt. Proinde quanta poteſt cura præparet omnia,atq; ipſe ſeſe in Græcanicis literis nonnihil exerceat:id quod in alias quoque liborum êditiones erit uſui futurum. Non mittat huc pecuniam,neque libros,priuſquam ad illum,quid uelim,perſcripſero. Dialogos Luciani,quos ad eum miſi,nõdum prodire uideo:uideo quoſdam ex illis excuſos Louanij:qua de re cupio certior fieri. Verti compluſculos Plutarchi libros,quos emendatos remittimus.Accepi poſtremas Badij literas per Anglum quendam:in quibus ſcribit,Moriam à ſe formulis excuſam:quam tamen hîc nõ uidimus. Bene uale.Louanij. Anno M. D. XII.

Eraſmus Roterodamus, Adolpho.
principi Veriano
S. D.

SALVE multũ ornatiſſime princeps. Iampridem molior hinc ad uos euolare: retinet adhuc quorundam ſingularis quædam in me benignitas, præcipuè Cantuarienſis Epiſcopi. Gulielmus Montioius præfectus Hammenſis amantiſſimus tui, in his belli tumultibus ſemper fauet tuis, eiſq; pro uirili ſubuenit. Verbis conſequi nequeam, quàm ex animo doleam, tantos rerum humanarũ motus exoriri, idq; nemine obſiſtente. Magis autem doleo, noſtram patriam paulatim his implicari malis, præſertim tam diutinis bellis nõ uexatam modò, ſed propemodũ extinctam. Vtinã hiſce de rebus, quæ ſentio, liceat tutò literis committere. Quoties pœnituit, me fortunam, quam anteriennium mihi Louanij offerebas, non amplexum fuiſſe. Sed tum quidem amplæ ſpes me ferocem reddiderant, & aurei Britanniæ montes animo concepti: ſed eam criſtam mihi depreſſit fortuna: nunc ſi uel mediocris iſtic detur, cupio cũ Vlyſſe patriæ fumum ſubſilientem conſpicere. Ferogo ut me iam olim tuum Eraſmum adiuues: potes enim,

nec

nec minùs uis, tantùm ut memineris. Bene uale. Londini, Anno M. D. XII.

Erasmus Roterodamus Io. anni Coleto S. D.

MITto quæ petis, officium Chrysostomi, & epistolam: in qua, nisi fallor, erunt quæ non probabis, propterea q̃d turationem & artem contẽnis: ego his nõnihil tribuo, præsertim in præceptore. De Linacro caue ne cui temerè credas: nam ego certis argumentis habeo compertum, illum obseruantissimo in te esse animo, & de reiecta grammatica non magnoperè laborare: quanquam id est hominum ingenium, ut suis quisque scriptis, ceu parentes filijs, impensiùs faueat. Quòd si quid etiam ea res hominem mouet, tuæ dexteritatis erit dissimulare, neque refricare eam cicatricem, uultuq̃ & consuetudinis alacritate magis, quàm excusatiõe, præcipuè per alios facta, reuocare: hoc pacto, si quid illi dolet, id tempore sensim euanescet. Sed ne

ego egregiè impudens, qui hæc tibi, hoc
est, sus Mineruæ. Nondum occurrit, quem
existimem idoneum hypodidascalum tuę
scholæ: pergam inquirere, & simulatq; re-
perero, certiorem te faciã. Bene uale præ-
ceptor optime. Est hic mihi nonnunquam
dimicatio pro te cum Thomistis & Sco-
tistis: sed de his coràm. Cœpi uertere Ba-
silium in Esaiam: mihi quidem opus ualde
placet. Exhibebo gustũ Episcopo Rossen-
si, experiarq; num is uelit hos labores no-
stros aliquo præmiolo lenire. O mendici-
tatem: iam rides, sat scio. At ego meipsum
odi, planeq; decretum est, aut aliquã nan-
ciscifortunam, quæ me ab his mendicabu
lis eximat, aut prorsus Diogenem imitari.
Rursum uale. Cantabrigiæ, Idib. Septemb.
Si quas pecunias habes in manibus, in hoc
commissas ut dẽtur in subsidiũ, rogo mit-
tas aliquot nobiles Richardo Croco, quon
dam ministro ac discipulo Grocini, quĩ
nunc Parisijs dat operam bonis literis. Iu-
uenis est bonæ spei, & in quem rectè bene
ficium collocaueris: nisi me planè fallit ani

mus,

mus. Rursum uale unice præceptor. Lutetiæ. Anno M.D.XIII.

Erasmus Roterod. Thomæ Moro S. D.

VT nusquã cessant sycophantæ mei, ut nullum non mouent lapidem, quo noceant Erasmo, persuaserant Coloniæ uni atque alteri, libellum illum ridiculum de Iulio cœlis excluso, à me conscriptum fuisse: persuasuri pluribus, ni præsens impudentissimam calumniam retudissem. Quòd si quid huius suspicionis apud uos quoque subortum est, ut solet in huiusmodi negocijs per multos obambulare diuinatio: mitto ad te exemplar literarum mearum ad Paulum Bombasiũ: nam perlongum sit, eadem pluribus scribere. Nihil pudet istos sycophantas, & nescio quomodo quæ falsissima sunt, libentiùs credit uulgus. Pridem erat in animo submonere Pontificem summum, ut huiusmodi licentiæ indies magis ac magis glisceti, finem imponeret: sed nondum

dum incidit commoditas. Antoniũ tamen Pucciũ oratorem admonui Basileæ, & recepit se curaturum: nam illi quoq; res non dissimulanda uidebatur. Cũ tu duodecim Angelatos mittis pro nouem, non uideo quid lucrifacias. Video futurum, ut fortunæ secũdus flatus te nobis auferat: sed hoc moderatiùs fero, q̃d interim felix es, qualiacunque nostra sunt fata. Vetus est, amicis conualescentibus soteria mittere: at isthinc nec literæ mittuntur, quum à tot morbis reuixerim. De Theologorum quorundam fucatissimis technis perlongũ sit scribere: ex literis meis ad Roffensem, fabulæ partẽ intelliges: nam harum exemplar ad te mitto. Bene uale. Calend. Ianua. Basileæ M. D. XV.

Ioanni Coleto Erasmus Roterodamus S. D.

POSTEAquam, relicta Britannia, Gallias repetij, difficile dictu, quàm uariè fuerim affectus. Neque enim facilè iudicarim, utrum lætior fuerim, qui pridem relictos

ctos in Gallia amicos reuiserim: an tristi-
or, qui nuper in Anglia paratos reliquerim. Nam illud uerè possim affirmare, nullam esse regionem, quæ mihi uel universa tam multos peperit amicos, tam syn-ceros, tam eruditos, tam officiosos, tam splẽdidos, tam omni uirtutum genere decoratos, quàm multos una peperit urbs Londinensis: quorum quisque sic in amando me, iuuando'que certauit, ut nesciam, quem cui debeam præponere, necesse'que habeam omnes ex æquo redamare. Horum desiderio non possum non excruciari: at rursum recordatione recreor, dum illos mihi perpetua cogitatione quasi præsentes reddo, dumq; spero propediem futurũ, ut eos repetam, haud unquam postea relicturus, nisi mors una diuulserit. Id quò fiat ocyùs atque commodiùs: confido, te, pro tuo in me amore studio'que, cum reliquis amicis daturum operam. Dici non potest, quàm mihi placeat indoles liberorum Baptistæ: nihil modestius, nihil tractabilius, nihil in literis diligentius, quibus rebus futurum confido, ut paterno animo,

& meo

& meo ſtudio reſpondeant, magnum'que olim Britanniæ decus afferant. Vale. Pariſijs, poſtridie Sacramenti. Anno M. D. XVII.

Gerardo Nouiomago Eraſmus Roterodamus S. D.

QVID tibi imprecer, mi Gerarde, dignum iſtis tuis factis? precor ut breui magno aliquo ſacerdotio onereris. Dixeras, at non ſolus, R. Præſulem noſtrũ nõ ante quartum aut quintum diẽ abiturum: ego, iuxta uulgarem morem, eum numerũ duplicabam, exiſtimans, ante octauum diem non mutaturum locũ, & erat hîc quod agerem. Videbam occupatiſſimo principi non uacare tum temporis. Præſagiebam uos ferò prãſuros, & mihi iam ſtomachus latrabat. Proinde ſubduxi me, teſtatus apud te, domi expectaturum eo die, ſi quid iuberet. Nihil denunciatum eſt: poſtridie manè tranſcurro Louanium, quòd arbitrarer haud multum intereſſe, hîc, an iſtic age-

agerem, quod ad cõueniendum præſulem attinet. Domi relinquo epiſtoliũ, quo teſtatus ſum, me ad omnem nutum paratum fore. Hodie propemodum decreuerã recurrere: & ecce, Paludanus uetus compotor tuus nunciat, hodie domum proficiſci: quod ſi uerum eſt, egregium patronũ agas oportet, ne quid ſecùs ſuſpicetur ille quàm res eſt: imò tu potiſſimum in ius uocãdus, in te cudenda faba, qui me tuis dictis fefelleris. Crede mihi, mi Nouiomage, nullus eſt in orbe princeps, cui magis ex animo cupiam gratificari, quàm Philippo præſuli: non ſolùm ob id quòd illius ſubſim ditioni, uerùm etiam quòd eximius ſit modis omnibus, quòd noſtro faueat ingeniolo: denique tacito quodam & arcano ſenſu mentis ad eum obſeruandum impellor. Aulicis officijs haud ſanè multùm ualeo: cæterùm quà ualeo, declaraturus ſum quantopere celſitudinem illius ſuſpiciam & amem. Id nolim mihi credas, ni propediem ipſa re comprobaro. Non auſus ſum ipſum toties meis epiſtolis interpellare: tu fac apud illum mihi epiſtolæ ſis uice. Si ua

cat

cat aduolabo: sin minùs, hoc impensiùs ma turabo profectionem, quò liceat redire celeriùs. Arbitror me reducẽ fore ante mensem Octobrem, tum extricatis his spinetis Theologicis, uacuo tranquillóque animo Musis & amicis uacabo. Neque susciperẽ hoc iter periculosissimum, ni me ratio famæ compelleret. Vbicunque gentium futurus est Erasmus, certũ polliceor, & præsulis celsitudo clientulum habitura est ex animo deditum addictumq;, & tua sanctitas amiculum minimè fucatum. Bene uale patrone optime. Louanij XV. Calendas Maias. Anno M.D. XIIII.

Richardo Pacæo sereniſſimi Anglorum regis ſecretario primo, Eraſmus Roterodamus,
S. D.

TOTVS hic annus mihi fuit nigerrimus. Faxit Christus Optimus Max. ut succedant candidiores. τῷ τῶμ ἐμῶμ καλῶμ ἰλιάδα partim ex meis ad Beatum literis

AGIT hoc miro conatu per literas Nicolaus Beraldus, homo Gratijs natus, ut nos committat. Quòd si certamẽ foret eruditionis, aut eloquentiæ: non poterat magis deterrere, quàm cùm sic adhortatur. In hac, inquit, palæstra prouocari abs te mauult, quàm te prouocare, uir alioqui in quouis scribendi genere non mediocriter antehac uersatus. Quum inter pares semper impudentior habeatur, qui lacessit: quis diceret, quicquam esse mihi uel frõtis uel cordis, si Thersites Achillem ausim lacessere? Nunc quum nulli obstet sua fortuna conditio ue, quò minùs cũ quamlibet magnis amore beneuolentia que certet: & modestior habeatur, quisquis hîc lacessit prior: non ueritus sum tuo ac Beraldi animo morem gerere. His igitur literis lacesso uirum eruditissimum minimè doctus, uirum integerrimum nõ admodum probus: sed tamen amandi uicissitudine non cessurus, nec posteriores laturus. Audio non sine summa uoluptate, Parisiorum Academiam pristinis suis studijs, in quibus hactenus haud du-

biè primam laudem possidebant,ac etiam num possident, propensis animis trium linguarum amplecti cognitionem, & ad purissimos sacrorum uoluminum fontes subinde recurrere, neque sentire cum istis aliquot sibi parùm amicis, qui putant has literas cum uera Theologia pugnare, quũ nullæ magis omnibus honestis disciplinis famulentur. Id partim Gallici ingenij tribuo candori: partim eximij præsulis Stephani Poncherij sapientiæ, uiri instaurandis optimis literis, ac ueræ pietati diuinitus facti: sed in primis optimo regi Francisco. Soli nos nondum hoc nomine possumus nobis gratulari: sed tamen spes est non pessima. Faxit hoc Christus, quemadmodũ principes passim fauent fouentq; recta studia, ita philosophiam amplectantur, dignam ijs, qui Christi uices gerunt: hoc est, ut quàm longissimè absint à barbarica tyrannide, neque per ambitionem labefactent orbis Christiani tranquillitatem, simul ac libertatem. Et, quando suo fauore prouehunt eas literas, quibus gesta principũ solent posteritatis memoriæ tradi:ea

di:ea gerere ſtudeant, quæ mereantur om nium ſeculorum ſuffragijs celebrari. Bene uale optime uir, quem ego poſthac inter Gulielmos illos meos fatales ſum relatu-rus. Antuerpiæ, quinto Idus Auguſti. Anno M.D. XVIII.

Eraſmus Roterodamus Vlricho Zaſio S. D.

VIX licuit tuas legere epiſtolas, mi Zaſi, quibus alioqui nihil accidere poterat iucundius. Quid ego librum tuum collaudem? compendio dicam: Zaſia nus eſt, hoc eſt, abſolutiſſimus: dignus qui fiat orbi communis. Ad id adiuuabimus ſimulatq; uacabit: uacabit autem intra bimeſtre: quanquam Aquinate tam ſubinde citato, nonnihil inquinaſti ſplendorem tuæ dictionis. Verùm id ſcio quibus tribueris, et fero: mallem alioqui perpetuum illum Zaſianæ dictionis curſum ac tenorem dicendi. Eraſmum nimis amanter citas, hoc eſt, longè ſupra meritum. Bene uale. Bonifacium non uno nomine unicè

diligo:de quo ſanè ſummam ſpem concepi. Mitto & alterum epiſtolium olim ad te ſcriptum,ſed obliuione miniſtri relictũ apud me. Probat & Beatus librum tuum: tu cura abſoluatur, & ſi fieri poteſt,uelim ea quoque, quæ citas ex parùm expolitis autoribus,tamen Zaſiano lepore cõueſtiri.Rurſum uale.

Eraſmus Roterod. Lodouico Carino ſuo S. D.

QVOD tã amicas literas ad me deſderis,ſuauiſſime Carine,gratias habeo:quòd tam eruditas, tibi gratulor. Vix enim mihi perſuaſit Neſenus, Marte tuo, quod aiunt,fuiſſe conditas: ſed perſuaſit tamen,uel quia uir minimè uanus, uel quia mihi iampridem nota ingenij tui felicitas. Perge mi Carine tibi ſolidam parare felicitatem. Id facies,ſi ueram eruditionem cũ morum integritate cõiũnxeris. Cętera uel non ambienti dabunt cœlites. Bene uale. Louanij. Anno M.D.XIX. III.Calendas Martias.

Eraſmus

Erasmus Roterodamus Zasio suo S. D.

SINGVLAREM eruditionem tuam cum pari coniunctam eloquentia, nuper è duobus eruditissimis, nec minùs facundis cognoui: primùm ex Beato Rhenano, mox ex Ioanne Gallinario. Facetiam tuam non uulgarem ex literis intelligo: siquidem quum tu uir omni uirtutum laude cumulatissimus, non grauatus esses, nos, qui nihil sumus, politissimis literis tuis ad amicitiam prouocare, quantum ego felicitatis nec optare unquam ausus fueram: mox altera epistola crimen impudentiæ deprecaris, quòd tantulus ad tantum heroa scripseris. Vt missas faciam istas delitias, quibus apud Italos uulgò docti sese delinire consueuerunt, sed ut homo Germanus cum Germano germana illa & simplici ueritate agam: ipse me meo, quod aiunt, pede metior, & noui quàm sit mihi curta suppellex, tantum abest ut laudes agnoscam, quas tu mihi tribuis. Cæterùm ex animo nostræ gratulor Germa-

niæ,quæ iam olim bellicæ rei gloria florens,nunc passim tot etiam eximijs in omni literarum genere uiris illustratur: qua quidem gloria non alia neque uerior, neque diuturnior:quos quãquam omnes uehementer suspicio,sicuti par est,tamẽ nullius stylo magis capior,quàm tuo: nõ tantùm ob id, quòd castissimus est, & ab omni næuo purissimus, uerumetiam ob id q⁹ Politicam illam Venerem ac delicias mirè referre uidetur: cuius uiri ingenio semper ita sum delectatus, ut nullius æquè. Porrò quum in Politiano summa laudum sit eloquentia: quantò rectiùs te mi Zasi conuenit suspicere,in quo, quòd in tãto uiro summum, in te accessorium est, & uelut auctarium. Proinde debeo Beato, debeo Gallinario,per quos te primùm cœpi cognoscere:sed magis tibi debeo,cuius humanissimis simul & elegantissimis literis etiam in amicorum tuorum numerum coopter:quare nihil potuit accidere iucundius aut honorificentius. Neque uerò commissurus eram,ut tu priores occupares, ni huic

huic priſtino ſic eſſem affixus & obliga-
tus, ut uix ſit ociũ capiendo cibo. Adagio-
rum opus ita locupletatur, ut aliud uideri
poſſit. Apparatur mox excudendus Hie-
ronymus cũ annotamentis & ſcholijs no
ſtris. Adornatur Nouũ Teſtamentum no
ſtris purgatum & illuſtratũ ſcholijs. Edi-
tur à nobis recognita Copia: êditur & Si-
milium liber. Opera quæ uerteram è Plu-
tarcho, iam formulis excuſa ſunt. Paratur
& Seneca Anneus, à me ſummis laborib⁹
emaculatus. Quum horum unũquodlibet
huiuſmodi ſit, ut totũ hominem, & quidẽ
non Eraſmũ, ſed adamantinũ aliquem de-
ſideret: facilè potes coniecturam facere, q̃
mihi nihil ſit uacui temporis. Vnde ueniã
des oportet: primùm quidem quòd ad tu-
as literas tam elimatas, tam inconditis re-
ſpondeo, planè χρύσεα χαλκείων ἀμειβόμε-
νος: deinde, ſi poſthac aut rariùs aut paucio
ribus, quàm tu uelles, tecum agere uide-
bor. Simulatque hiſce me laboribus nõni-
hil extricauero, libebit uel iuſtis uolumini
bus cum meo Zaſio congredi. Quod mo

liris in ius Cæsareum illustrandum, precor ut Musæ bene fortunent: scis, opinor, Budæum Parisiensem tale quiddam esse conatum: & Cutbertus Tonstallus Cantuariensis Episcopi Cancellarius, uir utriusque literaturæ callentissimus, innumeros habet locos annotatos. Quòd in tuis Commentarijs nostri mentionem facis, me´que paras immortalem reddere, magnoperè gratum est, laudari à uiro omnium laudatissimo. Vnum illud à te rogo, ne posthac tam inuidiosis titulis oneres Erasmum, ne quã nasutulis irridendi mei præbeas ansam. Quis non rideat Erasmum magnum appellari, qui nulla non parte minimus sit? ad hæc felicem, cui nihil est, quod fortunæ possit acceptum ferre? Bonifacium iuuenem iuxtà modestum atque eruditum, quæso ne graueris meo nomine salutare. Resalutat te Gerardus Listrius noster, ex animo ut tui studiosissimus, ita dignus profectò quem tu mutuò, sicut facis, diligas. Bene uale. Basileæ, Nono Calendas Octobris. Anno M.D. XIIII.

Erasmus

Erasmus Roterodamus Gerardo Nouiomago S. D.

CLArissimi principis Philippi à Burgundia præsulis Vltratraiectini, tui Mecœnatis, & nisi inuides, mihi tecũ communis, inaugurationẽ adeò graphicè perspicue'q; depinxisti, ut minùs uisurus fuerim, si ipse pompis omnibus interfuissem. Perplacuit autem quòd rem historica fide persequeris, secùs quàm uulgus scriptorũ facit, qui in huiusmodi argumentis multa solent ἐπιμετρεῖν, hoc est, admetiri, ne dicam admentiri. An gratulari debeam Philippo, nondum statui, qui & ante susceptũ honorem istum suis ipsius dotibus erat maximus: & adeò non ambijt, ut recusaturus fuerit, ni hoc patriæ commodis, & Caroli principis affectibus dedisset. Certè diœcesi gratulor, ad cuius communionem & ipse pertineo, cui talis contigerit & Princeps & Episcopus, qui pro singulari prudentia, pro'que summa morum integritate, iuxtà munus utrunque sit expletu-

E s rus.

rus. Id ut confidam fore, non solùm ipsius natura facit, nihil non egregium pollicens: uerumetiam pater Philippus Burgũdiæ dux, quo seculis aliquot nullus contigit huic regioni princeps laudatior, siue spectes uerè regiam animi magnitudinẽ, siue raram quandam erga suos charitatẽ, siue pacis alendæ studium, siue morũ comitatem, atque ut summatim dicam, ingenium ab omni tyrannide alieniſſimum. Auget hanc spem Dauid ille magnus huius germanus, uir modis omnibus patri adsimilis: sed hoc præcipuè suspiciendus, quòd ut ipse erat eruditissimus, ita summo studio adnitebantur, ne passim rudes & indocti in Cleri gregem irreperent, q̃d hactenus fieri uidemus. Igitur in spem uenio, fore, ut hîc unus & optimus parentem, unde natus est, & optimum fratrem, cui succesſit, non referat modò, uerumetiam superet, tibique uberrimam encomiorum materiam suppediter. Atque ut hac in re me tibi riualem intelligas, iamdudum pacis querimoniã illi dicauimus, nostri in illum studij primitias. Excuditur

Basi-

Basileæ libellus breui isthuc iturus. Quem si sensero non displicuisse, fortassis maius aliquid audebitur. Bene uale optime Gerarde, nos'que clarissimo præsuli sedulò commendatos facito. Louanij. Anno M. D. XXVII. pridiè Calendas Septembris.

Erasmus Roterodamus, Ioanni Reuchlino S. D.

REVErend. Card. Sedunensis, cùm nuper apud eum pranderem, narrabat te uita defunctum esse. Mihi non libebat credere: quia non erat è re literarum uerum esse. At mox lætiora nuncia-runt alij, quæ precor ut nobis sint perpetua, uir optime, idemq; doctissime. Vides fallacem Tragœdiam, quæ nunc agitur: cuius qualis sit futura Catastrophe, incertum. Qualis qualis est futura, precor ut cedat in gloriam Christi, & in rem Euangelicæ ueritatis. Ego huius rei spectator esse malim, quàm histrio: non quòd recusem ob Christi negocium aliquod subire discri

discrimen, sed quod perspiciam, negocium esse supra meam exiguitatem. Vtinam tam possem præstare quod est optimum, quàm opto. Non dubito quin tibi adsint graues & amici consolatores, qui tibi omnem ægritudinem adiment, si quam animo concepisti, ut mea consolatione sit opus. Altiùs infixus es animis bonorum uirorum, quàm ut hinc ullis Iacobitarum obtrectationibus queas reuelli. Res est inuicta ueritas. Et tacita bonorum iudicia perpetuam obtinent autoritatem, etiam apud posteros suum habitura pondus. Mihi semper studio fuit, Lutheri causam à tua bonarum'que literarum causa seiungere: quod ea res & nos uocaret in communem inuidiam, & illum ne tantulum quidem subleuaret. Sed alijs aliter est uisum. Me quoque tanta onerarunt inuidia, ut parùm abfuerit, quin & ipse fuerim impetitus ab istis, qui in bonas literas ac doctrinam Euangelicam coniurarunt. Obscurum non est, quid agant illi. Id quò magis succedat, prætexunt splendidos titulos, irritant mitissimum Pontificis ingenium,

um, ut illius malo ſuis conſulant commodis. Vtinam qui bonas literas colunt (nam in has tendunt iſti) tam concordes eſſent ad honeſtarum rerum defenſionem, quã iſti deuoti ſunt ad ſubuerſionem honeſtiſſimorum ſtudiorum. Si Germanis noſtris placuiſſet ciuilitas, ad quam ego ſemper amplectendam hortatus ſum: fortaſſe non proceſſiſſet huc tumultus. Anglus ille Epiſcopus, quo non alius in ea gente, uel eruditior uir, uel præſul ſanctior, ſic te deamat, ut non ferat à quoquam laudari te parciùs. Habet in animo uiſere te æſtate proxima. Bene uale Capnion chariſſime. Coloniæ VI. Idib. Nouembris. Anno M. D. XX.

Eraſmus Roterodamus Ioanni Coleto S. D.

AD EPIſtolam ioco ſcriptam, reſpondes ſeriò. Non decebat forraſſe cum tanto patrono iocari. Sed tamen mihi tum libebat cum amico tam ſingulari Atticis ſalibus ludere, magis humani-

tatis

ratis tuæ memori, quã magnitudinis. Tuæ facilitatis erit, noſtram ineptiam boni con ſulere. Scribis, me tibi debere, etiam ſi nolim. Omnino mi Colete durum eſt, ut inquit Seneca, debere cui nolis. At ego nemi nem noui mortalium, cui libentiùs debeam quàm tibi. Et is ſemper in me fuit animus tuus, ut etiam ſi nihil acceſſiſſet officiorum, tamen debiturus tibi plurimũ fuerim. Tantùm autem acceſſit & officiorum & beneficiorum, ut ſi non agnoſcam, ſim unus omnium ingratiſſimus. De tenuitate tua prorſus & credo & doleo. Sed mea tenuitas grauiùs me premens, coëgit ut tuæ tenuitati negociũ faceſſerem. Quod quàm fecerim inuitus, uel hinc potes colligere, quòd iam olim abs te promiſſum tam ſerò petij. Excidiſſe tibi promiſſum haud miror, quippe homini tot occupato negocijs. At in horto tuo cũ incideret de Copia ſermo, & indicaſſem, mihi eſſe in animo, ut nuncuparem puerile opus principi noſtro puero: rogabas, ut nouum opus nouæ ſcholæ tuæ dicarem. Reſpondi ſubridens, ſcho-

ſcholam tuam eſſe paupercul̃: mihi opus eſſe, qui aliquantulum daret in manum. Arridebas. Deinde cũ multos titulos adduxiſſem ſumptuum, nonnihil cunctatus, negabas te poſſe ſuppeditare, quantum meæ res poſtularent: uerùm quindecim Angelatos lubenter daturum. Idq; cùm alacri uultu repeteres, rogabam num ſatis eſſe uideretur. Reſpondebas etiam alacriùs: hoc certè te libenter impenſurum. Tũ ego: Et ipſe, inquam, libenter accipiam. Ex hac commemoratione fortaſſe res redibit in memoriam tuam. Poſſem & alĩs argumẽtis aſtruere, niſi tu mihi tua ſponte iam fidem haberes. Sunt omnino quidam, ĩq; amici (nam cũ inimicis nihil mihi eſt commerciĩ, nec eorum dicta pili facio) qui te duriuſculum prædicent, & in diſtribuenda pecunia diligentiorem. Idq; non accidere (ſic enim illis approbantibus interpretabar) uicio tenacitatis, ſed quòd impro bè inſtantibus & urgentibus negare non poſſes ob ingenĩ uerecundiam, in amicos non moleſtos minùs eſſe profuſum, quan

doqui-

doquidem utrisque non posses satisfacere. Nec tamen hæc res ad me pertinet, qui quanquam non sim admodum improbus ac molestus flagitator, tamen te semper benignissimum sum expertus. Non igitur hoc accepi à tuis obtrectatoribus, sed ab ijs, qui tibi ex animo bene uolunt. Quorum tamen sententiæ nec accedo, nec refragor: nisi quòd tuam in me benignitatem singularem agnosco. Si reliquũ promissi non grauaberis dare, equidem, ut nunc meæ res sunt, accipiam, non uti debitum, sed uti beneficiũ: relaturus si quà possim, certè gratiam habiturus. Iniucundus mihi fuit epistolæ tuæ finis, cùm scribis, molestia negociorum te solito grauiùs uexari. Equidem cupiam te quantum potes longissimè à mundanis negocijs semoueri, non quòd uerear ne mundus hic ut est hamatus, te sibi uindicet, ac manus inijci-at: sed quòd malim istud ingenium, istam eloquentiam, istam eruditionem in solidum impendi Christo. Quòd si non potes explicare te, cauendum tamen ne in-

dies

dies altiùs atque altiùs immergaris. Vinci fortaſſe præſtiterit, quàm tanti emere uictoriam. Maximum enim bonum mentis tranquillitas. Atque hæ ſunt ſpinæ, diuitiarum comites. Interim maleuolorum blateramentis oppone rectam & ſynceram conſcientiam: in unum illum & ſimplicem Chriſtum te collige, & minùs turbabit multiplex mundus. Sed quid ego ſus Mineruam doceo, & ægrotus ipſe medico mederi ſtudeo? Bene uale præceptor unice. Abſolui collationem Noui Teſtamenti: nunc Diuum Hieronymum aggredior. Quo confecto, ad uos reuolo. Tuus, ac uerè tuus alũnus Thomas Lupſetus, magno mihi eſt & uſui & oblectamento cotidiana conſuetudine & opera, quam mihi commodat in his caſtigationibus. Et operam opera pẽſo: facturus idem copioſiùs, ſi per illius ſtudia uacaret, à quibus nolim abducere adoleſcentem. Crede mihi, nihil eſt eo tui amantius. Rurſum uale. Cantabrigiæ. V. Idus Iulias. Anno à natali Chriſti milleſimo quingenteſimo undecimo.

Conrado Præſuli Vuertzenburgenſi, Eraſmus Roterodamus S. D.

ORNATISSIME Præſul, quum ſim & natura uerecundior, quàm ut plebeis etiam hominibus ultrò ſoleam literis meis negocium faceſſere: & nunc occupatior, quàm ut uacet cuiquam omnino ſcribere: tamen huius Draconis improbitas extudit hanc à me epiſtolam ad amplitudinem tuam: quam accipio cùm ſemper optimis ac ſanctiſſimis ſtudijs delectatã, tum in præſentia ſingulari fauore proſequi literarum honeſtarum cultores. Inter quos utinam me iure queam commemorare. Certè uideor inter hos referri poſſe, qui ſua qualicunque induſtria 'alijs addũt animos: quemadmodum faciunt, qui in acie claſſicum canunt, ipſi tamen interim à prælio ſemoti: qui'ue in certaminibus ſuffundunt frigidam, quum ipſi curſu non certent. Hactenus ſanè feliciter ſucceſſit prouentus ingeniorum, ſi modò abſit diſcordia, aut certè eſſet ciuilior. Si uetera ſtudia

dia cum his nouis mutua comitate coa-
lescerent, possent utraque alteris esse usui.
Nunc, dum utrique sic agunt, ut alterutra
factio prorsus profligetur, fit ut utrisque
sit malè. Coniuratum est à stolidissimis
agminibus in perniciem optimorum stu-
diorum: pars deterior numero superior
est. Melior causa uincit. Et periculum est,
ne, iuxta Liuianum uerbum, pars maior
superet meliorem, ni tuo tuique similium
fauore subleuemur. Ego non solùm publi
co studiorum nomine gratias ago tuæ be-
nignitati, uerumetiam meo priuatim, qui
candore quodam amico non aspernaris
nostras qualescunque nænias. Si quid
offendit hoc epistolium meum plus quàm
extemporarium, Draconi fac imputes:
quo iuuene ut nihil adhuc uidi melius,
ita nihil uidi pertinatius. Celsitudinem
tuam incolumem ac florentẽ nobis quàm
diutissimè tueatur Christus optimus ma-
ximus.

Rectori inclytæ scholæ Erphurdi-

ensis, Erasmus Roterodamus
S. D.

VIR eximie, non possum non amare te, quòd, ut ex Dracone iuuene minimè uano cognoui, doctissimus ipse, studijs melioribus impensè faueas, atque horum accessione Erphurdiensem Academiam (cui tu felicibus præsides auspicijs) exornandam expoliendam'que cures. Illa tuæ prudentiæ laus est peculiaris, quòd hoc absque tumultu facis, quem alibi uidemus excitari quorundam imprudentia. Bonæ literæ sic debent irrepere in Academias, non ut hostes omnia depopulaturi uideantur, sed hospites potiùs paulatim in ciuilem consuetudinem coalituri. Mihi nunquam placuit tumultus: & aut ego parùm perspicio, aut plus efficitur moderatis consilijs, quàm uiribus impotentibus. Ac bonorum uirorum esse reor, sic uelle prodesse, ut quàm paucissimis noceatur, atque adeò nullis, si modò liceat. Eò uanitatis processerat frigida illa disputatrix Theologia, ut necesse fuerit ad

fontes

fontes reuocare. Sed tamen illam quoque corrigi malim, quàm explodi: aut certè tolerari, donec potior aliqua Theologiæ ratio fuerit parata. Multa præclarè monuit Lutherus: sed utinam ciuilius admonuisset. Plures haberet & fautores & propugnatores: & uberiorem messem demeteret Christo. Et tamen impium sit, illum in his, quę rectè dixit, prorsus indefensum relinquere: ne posthac nemo sit, qui uerum ausit proloqui. Non est nec huius conditionis, nec huius ingenij, de illius doctrina pronunciare. Hactenus certè profuit mundo. Nonnulli sunt adacti ad euoluendos ueterum Theologorum libros: alij, quò sibi consulerent: alij, quò Luthero negocium facesserent. Draconem tibi commendarem, nisi ijs esset moribus, ea ingenij suauitate puritateque, ut non possit non esse optimo cuique gratissimus. Scimus, quàm nihil possimus. Tamen si quid erit, in quo queam isti Academiæ uel usui esse, uel ornamento, sic agam, ut intelligas, mihi quiduis defuisse potiùs, quàm propensam animi uoluntatem. Bene uale.

Louanij, pridiè Calendas Augusti. Anno M. D. XVIII.

Erasmus Roterodamus Adriano Barlando S. D.

NON libet credere, quod quidam aiunt, te nescio quid & stomachari & maledicere in Goclenium. Neque enim hoc tui candoris est, neque meriti illius. Est uir egregiè doctus, nec minùs integer quàm doctus, nullius gloriæ inuidens. Postremò conuenit hoc tempore συγκρητίζειν qui colunt bonas literas, barbarorum phalangibus sic sese undique condensantibus. Non me fugit, esse quosdam in hac schola, qui morbo naturæ pessimè loquantur, & de his, à quibus fuêre nunquam læsi: imò quorum beneficentiam experti sunt. Qui si sanari non possunt, tu tamen mi Barlande tui similis esse pergito, nec horum consuetudine te contamina. Bene uale, cùm uoles confabulabimur copiosiùs. Anno M. D. XVIII.

Erasmus

Erasmus Roterodamus Erardo præsuli ac principi Leodiensi, S. D.

IAM plus triduum isthuc iturientem me, iugis quædam ac sceleratissima nebula domi alligat. Pensare uolebam, quod hinc nobis insalutata discesserat tua celsitudo. Medicus tuus in causa fuit, qui confirmarat, te totum illum diem nobiscum futurum. Insignis ille heros Albertus Cardinalis Maguntinensis, cuius diuinas dotes, tu nuper cominus es admiratus, mihi poculum dono misit, cùm amplum ac graue, tum opere spectandum. Addit, se id dare mihi, ipsum fugienti: maiorem experturo benignitatem, si mei fecero copiam. Dignum nimirùm munus, quod à tali principe mitteretur: sed Erasmus dignior, qui Samijs bibat. Quin & nomen indidit. Ait uocari poculum amoris, opinor, quòd è duobus paribus uelut osculo commissis, fiat unum, quoties libet. Ex quo qui biberint, protinus beneuolentia mutua

conglutinari. Si uera sunt hæc, utinã Theologi Louaniẽses ex eo poculo mecum potassent ante annos duos. Horum opera compertum habeo, D. N. & N. principum Bergens. & comitis Hoichstratensis animos nonnihil à nobis alienos. Hos, si inciderit opportunitas, admonebis, ut pro sua prudentia magis credant reconciliatis, quàm iratis. Vt in me coorientur, falsissimæ suspiciones illis fuerunt in consilio: & hoc totum unius iracũdiæ datum est. Vt autem ultrò prouocarent ad amicitiam, in causa fuit res attentiùs perpensa. Illud tumultus fuit, hoc iudicij. Quòd si hoc non impetras, saltem ne pronuncient aduersum me, nisi parte utraque audita. Si rem omnem pernossent, melius etiam sentirent de Erasmo, quàm antehac senserint. Bene uale. Anno M. D. XVIII.

Erasmus Roterodamus Florentino ab Isselstein,

S. D.

Cla-

CLArissime Princeps, munus quod tua benignitas nobis donauit, non uno nomine mihi fuit gratissimum: uel qꝙ à tali profectum heroe: uel quòd ultrò delatum, nec promerito, nec expectanti. Admonui filium tuæ celsitudinis, rarę cuiusdam indolis puerum, ut mihi in referenda gratia sit auxilio. Sic enim uidebor retulisse, si effecero, ut ille in bonis literis expectationi tuæ respondeat. Recepit factum, ac mihi sanè in hac ætatula iam nunc emicans eruditionis specimen maximam spem præber, talem euasurum Maximilianum, ut non solùm suo generi, uerumetiam ipsis literis bonis sit olim ornamẽto futurus. Arnoldus ut est pueri amantissimus, ita eum nõ minùs diligenter quã blandè curat. Est hic Conradus Goclenius iuuenis utriusque literaturæ peritissimus, stylo cum primis felici, siue prosam orationem tracter, siue metri legibus astrictam, philosophicæ rei non uulgariter doctus, moribus incorruptis, spectataeqꝫ integritatis. Quid multis? Dignus uel ipso Ferdinando discipulo. Id tibi meo polliceor

periculo. Quò si uidetur hîc filij familiæ adiungendus, agam cum illo, & agam nō minore fide, quàm si filij mei ageretur negocium: sin minùs, scito Erasmum toto pectore tuum esse. Bene uale. Louanij, postridie Calendas Octobris. Anno M.D. XVIII.

Erasmus Roterodamus R. P.
Syluestro Episcopo Vuingornienſi
S. D.

REuerendissime præsul, expectabam ut me uocares ingratissimum, quòd pro ueteribus tuis in me officijs nullā retulerim gratiam. Nunc ô inauditam humanitatem, etiam pristinis tuis in me meritis, sanè cumulatissimis, nouos adijcis cumulos. Redditum est mihi exemplar diplomatis: magnoperè placuit, nihil fingi potuit amantiùs, aut magis ex animi mei sententia. Sed hac de re ne quid ad me mittatur amplius, donec scripsero quò uelim mitti. Nam spero futurum, ut ipse

Romæ

Romæ ſacras iſtas manus tuas deoſculer, idque breui: niſi Caroli noſtri reditus adferat nobis noua conſilia. Et ſcio, & memini quid debeam celſitudini tuæ. Sed ſi ea noſſet quibus rerum procellis obruar, non ſolùm daret ueniam, uerumetiam misereretur noſtri. Si uixero adhuc annum, teſtabor me ſcire, quantoperè tibi ſim deuinctus. Bene ualeat tua ſublimitas, cui me totum ut debeo, ita dedo dicoq;.

Antuerpiæ
Idibus Martijs,
Anno M. D. XX.

FINIS.

GRAECORVM
QVAE INSERTA SVNT hiſce Eraſmi epiſtolis, interpretatio Latina.

ψευδόλογον, *mendacem rumorem.*

ψαλμοί, *pſalmi.*

Miſoglottis, *linguarum oſoribus.*

συνθήκη ἰταλικὴ, *fœdus Italicum.*

Δῶρον, *donum.*

Δῶρα, *doni.*

πέμψω Δῶρόν τι ἄξιον σοῦ, *mittam donũ quodpiam te dignum. Eraſmus ſenſum ironicè interpretatur.*

τὴν τῶν ἐμῶν ἰλιάδα, *meorum malorũ Iliada. Alludit ad prouerbium, Ilias malorum.*

χανών, *hians, id eſt, auidè.*

τείνουσι τὸ καλώδιον οὗτοι πολυμήχανοι Μίδαι. *Extendunt funiculum hi uafri Midæ.*

σὺ γε τὸν σπεύδοντα ἢ αὐτὸν ὀξύνεις. *Tu ſanè & ipſum feſtinantem incitas Prouerb. Currentem incitare.*

Φ συκοφαντῶν μὴ κόρος ὀυπώποτε ὀυδείς, *Calumniandi nulla unquam ſatietas.*

πολ-

πολλοὶ μαθηταὶ ἀρείσονες διδασκάλων, Multi discipuli meliores præceptoribus. Prouerb. Multi discipuli, &c.

λακωνικῶς, Laconicè.

πρὸς ἀντεπιστέλλειν, responsioni ad epistolas.

χρύσεα χαλκείων ἀμειβόμενος, aurea æneis permutans, compensans.

συγκρητίζειν, omissa contentione conspirare.

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-483975-p0298-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-483975-p0300-9

Oecolampadius · part. 1 F. v. part 4 A vj
Brentius part. 3 F. v.
Melanchthon. part. 1 F vj.
Hesius. part. 2 b vij
Luther⁹ part 3 E vj F iij part 4. A vj C vj E ij
F. iij. iiij

154754
AB 154754

Laus Carol v imperatoris. e iiij

X 199761

PARS PRIMA

BREVIO-

RVM ALIQVOT D▸

ERASMI ROTERODAMI

Epiſtolarum, quæ iam nunc collatione magni operis Epiſtolarum ſunt emendatæ.

Cum interpretatione Græcarum uocum.

COLONIAE. Anno à Chriſto nato 1558.